





BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE ◆ RACCOLTA NENCINI
ALDINI
I
4
32










BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
I
4
32
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874

C.36.



OPVS
THOMAE CAMPEGII
BONONIENSIS,
EPISCOPI FELTRENSIS,

De Auctoritate, & Poteſtate Romani Pontificis, & alia opuſcula, quæ indicantur in ſequenti pagina.





VENETIIS, M. D. LV.
Apud Paulum Manutium Aldi F.

De Officio Principis Christiani in Ecclesia.
Licere sacerdotibus temporalia bona possidere.
Licere Episcopis dominium temporale habere.
+ De residentia Episcoporum.
+ De Beneficiorum pluralitate.
+ An Papa labem simoniæ incurrere posſit.
+ De Annatarum institutione, & earum defensione.
+ De Reseruationibus beneficiorum.
+ De Pensionibus.
+ De omnium fructuum reseruatione.
+ De Reseruatione regressuum.
+ De Commendis beneficiorum.
+ De Vnionibus ecclesiarum.
+ De Coadiutore Episcoporum, & aliorum.
De Reseruatione casuum absolutionis.
De Exemptionibus.
De Sententia excommunicationis.
De Interdicto ecclesiastico.
De Obseruatione dierum festorum.
An Electus & consecratus à schismaticis sit uerè Episcopus.
+ An Romanus Pontifex posſit dirimere matrimonium ab hæreticis contractum.

PAVLO IIII. PONT. OPT. MAXIMO.

THOMAS CAMPEGIVS, *Episcopus Feltren. Felicitatem.*



ROPTER ueritatem, mansuetudinem, & iustitiam, deduxit te mirabiliter dextera Domini, Paule Pōt. Opt. Max. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Præuenit te Dominus in benedictionibus, & posuit in capite tuo coronam de lapide pretioso. Induit te Dominus uestimentis salutis: & indumento iustitię circundedit te, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Quia dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus noster, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Dextera Domini fecit uirtutem: dextera Domini exaltauit te. Talem decebat, ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus. Erit opus tuum iustitia. Pax & cultus iustitiæ, silentium & securitas. Sedebit populus tuus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Lætamini ita-

que in Domino, & exultate iusti : & iocundamini omnes recti corde. Lętentur & exultent omnes : quoniam iudicabis populos in æquitate, & gentes in terra diriges. Iudicabis orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate. Iubilate Deo omnis terra : seruite Domino in lætitia : introite in conspectu eius in exultatione. quoniam prospexit Dominus de excelso sancto suo : Dominus de cœlo in terram aspexit. Exortum est in tenebris lumen rectis : lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Voces istæ, Beatiss. Pater, psallentium, prophetantium, & lætantium, excitarunt a somno hos filiolos meos, quos quandoque infantulos uidisti : qui & ipsi sese immiscentes choro psallentium, & cuneis prophetarum, superno quodam afflati spiritu, clamantes : Iubilate Deo omnis terra : psalmum dicite nomini eius : date gloriam laudi eius ; ad sanctissimos pedes tuos, nomine meo, properant, illos deosculaturi, & sanctissimam benedictionem petituri, cum Esaia prophetantes, Ponet Dominus uisitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Non audietur ultra iniquitas in Dei ecclesia. Benedictus Dominus, qui fecit mirabilia solus : & benedictum nomen maiestatis eius in æternum : & repleatur maiestate eius omnis terra. fiat, fiat.

CAP. Primum. Dominus noster Iesus Christus, ascendens in cœlum Vicarium dimisit in terris; qui eius uice caput & rector ecclesiam regeret, & gubernaret.

1 Tamdiu consentaneum fuit, Christum per se ipsum regere ecclesiam, quandiu eiusdem fuit dispositionis cum membris suis.

2 Interpretatio illius loci Io. XX. Noli me tangere. ex Io. Chryso.

3 Non fuisset Christus diligens paterfamilias, si neminem dimisisset in terris, qui eius uice ecclesiam regeret & gubernaret.

4 Non propterea Christus existens in cœlis minus idoneus est ad regēdam ecclesiam in terris, neç coadiutore indiget.

CAP. II. Petrus is fuit, quem Christus ascendens in cœlum loco sui dimisit in terris.

1 Per illa uerba, Pasce oues meas, factus est Petrus rector & gubernator ecclesiæ.

2 Illa uerba, Pasce oues meas, soli Petro non omnibus Apostolis dicta.

CAP. III. Sententia asserentium Petro datam potestatem, cum ei dictum, Tu es Petrus, & super hanc petram.

1 Mos sacræ scripturæ ponendi modum pro modo, & tempus pro tempore.

2 Auctoritates Augustini, Hilarii, & Anacleti assertionem comprobantes.

3 Contraria aſſertio approbatur ratione, & auctoritate Gregorii.

Cap. IIII. Petrum antequam ei dictum fuerit, Paſce oues meas, digniorem habitum qui aliis præficeretur.

1 Petro dictum, Et tu aliquando confirma fratres tuos.

2 Solus Petrus ſuper aquas maris ad dominum peruenit.

3 Soli Petro dictum, Duc in altum.

4 In ſolutione tributi pro domino & Petro datum ſtaterem.

5 Petrus in enumeratione Apoſtolorum ab euangeliſtis omnibus primus nominatus.

6 Plura ſcripturæ loca, quibus Petrus aliorum nomine reſpondebat.

CAP. V. Petri dignitas & prærogatiua ex his quæ poſt domini reſurrectionem dicta aut facta ſunt.

CAP. VI. Teſtimonia patrum de Petri primatu.

1 Anacleti, Cyrilli, Euſebii Ceſarieñ, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, & Innocentii.

CAP. VII. Petri auctoritas & prærogatiua comparata auctoritati datæ eccleſiæ, & aliis Apoſtolis.

1 Confeſſio Petri, Tu es Chriſtus filius Dei uiui.

2 Reſponſum & confeſſionem Petri referri

non poſſe ad omnes Apoſtolos.

3 Quod dixit dominus, Tu es Petrus &c. referri non poſſe ad omnes Apoſtolos.

4 Differentia inter Petrum de ſe loquentem, & alieno nomine.

5 Verba domini ad Apoſtolos, Quodcunq; li gaueritis; non tribuere æquam poteſtatem cæteris Apoſtolis cum Petro.

6 Quomodo interpretandum ſit quod legitur, cæteros Apoſtolos pari conſortio cum Petro honorem accepiſſe & poteſtatem.

7 Interpretatio loci Hieronymi, Chriſtum dediſſe eandem iudiciariam poteſtatem aliis Apoſtolis.

8 Quando Apoſtoli receperunt a domino or dinis poteſtatem.

9 Interpretatio loci Hieronymi, Chriſtum dediſſe omnem poteſtatem diſcipulis.

10 Interpretatio loci Mat. XIX. Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, tunc & uos ſedebitis iudicantes duodecim tribus Iſrael.

11 Interpretatio loci Mat. XXIII. nolite uocari rabi. unus eſt enim magiſter ueſter: & uos omnes fratres eſtis.

12 Item alterius loci Mat. XXIII. Principes gentium dominantur eorum. non erit ita inter uos.

CAP. VIII. *Quæ sint claues ecclesiæ.*

1 Claues, una ordinis, altera iurisdictionis, siue una scientiæ, altera potestatis.

2 Locus Hieronymi de his qui iudicii clauem a potestate separant.

3 Quomodo soluantur peccata claue scientiæ, locus Chryso.

CAP. IX. *Cui datæ sint claues ecclesiæ.*

1 Claues datæ sunt Petro & Apostolis, non tamen ex æquo, sed Petro, & aliis per Petrum.

2 Ecclesia habet claues, quia Petro eius capiti datæ sunt.

3 Locus August. Sicut quædã dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum uidentur pertinere, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam.

4 Et pro se, & pro ecclesia Petrus claues accepit.

5 Quo sensu unitas non homo unus claues accepit, quia non unus tantum habet, omnes tamen habent ab uno.

6 Claues habet ecclesia, quia potiora eius membra habent.

7 Cur dicantur ecclesiæ claues.

8 A quo Papa claues accipiat, & cui dimittit moriens.

9 Teſtimonia patrum de clauibus datis Petro.
10 Papa non modo ouium, ſed paſtorum paſtor: Bernar.

CAP. X. *Petrum eccleſiæ fundamentum.*

1 Quomodo Chriſtus, Petrus, & Apoſtoli, nuncupentur eccleſiæ fundamenta.
2 Chriſtus eſt fundamentum fundamentorum. Auguſt.
3 Teſtimonia patrum, Origenis, Cypriani, Baſilii, Hilarii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli, Chryſoſtomi, Maximi, Leonis, & Gregorii,
4 Auguſt. uarie interpretatus locum illum, Tu es Petrus. &c. relinquit lectoris arbitrio, an per petram Petrus an Petri fides interpretanda ſit.
5 Si per petram Petrum interpretamur, ubi eccleſia ante Petrum?

CAP. XI. *Petrus immediate poteſtatem accepit a Chriſto.*

1 Petrus primus Apoſtolorum, non quòd ab ipſo cæteri ſint ordinati, ſed quia ipſe, ſicut eorum caput, eſt ordinatus: omnes tamen a Chriſto.
2 Paulus in Epiſcopum ordinatus eſt, non tamen a Petro.
3 Iacobus Iuſtus ordinatus eſt a Petro, Ioã. & Iacobo, quantum ad uiſibilem unctionem, cum prius eſſet inuiſibiliter ordi-

CAP. XII. *Diſſolutio eorum, quæ obijciuntur primatui Petri.*

nos, ut uitaret seditionem, & maior fieret minor: potuit facere, & noluit.

10 Non omnis missio dicit superioritatem. quare potuit Petrus ab Apostolis mitti in Samariam.

11 Non manet ecclesia sine capite influente, qui Christus est, potest ad tempus manere sine capite ministeriali.

12 Ante Christum erat ecclesia, cuius caput Deus.

CAP. XIII. *Auctoritatem datam Petro, datam etiam successoribus Petri.*

1 Ea ratione Christus ministros instituit, ut eorum auctoritas ad posteros continua successione usque ad finem seculi permaneret.

2 Amor non facit pastorem, sed pastorem bonum.

3 Petrus successorem habet, non cæteri Apostoli: quia pastoris officium est ordinarium, Apostolatus autem minime perpetuum.

4 Soli Petro data potestas gubernandi omnes & quascunque oues.

5 Non posset ecclesia statuere, quòd essent duo summi Pontifices.

CAP. XIIII. *Romanum Pont. esse Petri in Pontificatu successorem.*

1 Testimonia sanctorum patrum de Rom.

Pont.auctoritate, & primatu.

2 Teſtimonia Rom.Imperatorum.

3 Sacrorum conciliorum teſtimonia.

CAP. XV. *Romanum Pont. eſſe, & recte appellari uniuerſalis eccleſiæ Epiſcopum.*

1 Sic ſe uocarunt Rom. Pontifices, ſic ab aliis uocati ſunt.

2 Damaſum ante Gregorium ſe uocaſſe ſeruum ſeruorum Dei.

3 Cur Gregorius recuſauerit uniuerſalem Epiſcopum appellari.

4 Longe diſtare, appellari uniuerſalem Epiſcopum, & uniuerſalis eccleſiæ Epiſcopū.

5 Rom. Imperatores appellarunt Rom. Pontificem uniuerſalis eccleſiæ Epiſcopum.

CAP. XVI. *Rom. Pontifici ab omnibus Chriſti fidelibus deberi obedientiam.*

1 Spirituale caput præfertur tempotali.

2 Cum Chriſtus dixit Petro, Paſce oues meas; poteſtates ſeculares non excepit.

3 In ueteri lege ſacerdotes ſubiiciebantur regibus.

4 Quod præcepit Apoſtolus, omnem animam ſublimioribus poteſtatibus fore ſubiectam, non infert ſacerdotes ciuilibus magiſtratibus ſubeſſe.

5 Idem nec ex eo quod dixit Petrus, ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum, ſiue regi &c.

6 Interpretatio eius quod habetur ad Rom. XIII. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.
7 Quid tribuat Regi Francorũ extrauag. Clem. V. quæ incipit, Meruit charissimi filii.
8 Potestas temporalis quamuis a Deo sit, non tamen immediate.
9 Quomodo Papa utrunque gladium habeat: alterius tamen usus sit penes Cæsarem.
10 Gladius temporalis quando resumendus a Pontifice.
11 De duobus gladiis uariæ interpretationes.
12 Interpretatio illius loci, Non haberes potestatem, nisi tibi data esset desuper.
13 Qui a Rom. Pontificis obedientia se malo animo subtrahunt, nihil magis ad ecclesiam orthodoxam pertinent, quàm Arianorum aut Donatistarum ecclesiæ: sanctus Thomas.

CAP. XVII. Rom. *Pontifici nedum debitam, sed etiam præstitam fuisse obedientiam ab Episcopis, principibus, & concilijs.*

1 Testimonia patrum, & orientalium Episcoporum.
2 Constantinopolitañ. Alexandriñ. & Thessaloniceñ. Episcopi legati esse consueuerant Rom. sedis.
3 Nestorius a Celestino monitus fuit ad coram se comparendum infra ab eo prefini-

tum tempus.

4 Conſtantinopolitañ.eccleſia Romanæ ſubdita eſt.

5 Teſtimonia Imperatorum etiam ethnicorum pro Rom. Pontificis auctoritate.

6 Ante conceſſam Germanis electionem Imperatoris, præſtitere Imperatores Romano Pontifici fidelitatis iuramentum.

7 Imperatore abrogato, paruiſſe electores Rom. Pontifici mandanti, ut alium eligerent.

8 Rom. Pontificem depoſuiſſe regem Francorum, uel potius proceres a iuramento fidelitatis abſoluiſſe, ut depoſito inutili rege alium eligere poſſent.

9 Poſt Federici II abrogationem, petitam a Conſtantinopolitañ. Imper. a Rom. Pontifice unionem occidentalis imperii cum orientali, & denegatam.

CAP. XVIII. *Maiores cauſas ad Apoſtolicam ſedem referendas.*

1 Exemplo ueteris teſtamenti id inductum in eccleſia.

2 Teſtimonia & exempla ſanctorum patrum.

CAP. XIX. *Licitum eſt omnibus ad ſedem apoſtolicam appellare.*

1 Teſtimonia ſanctorum patrum.

2 Teſtimonium Sardiceñ. concilii.

3 Diſceptatio & reconciliatio Aphricanæ ec-

clesiæ cum Romana.

4 Aegyptiorum Episcoporum testimonium.

5 Testimonium Cypriani.

CAP. XX. *Nemini licere à Romano Pontifice appellare.*

1 Interpretatio illius canonis, Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem.

2 Verbum, nemo, excludere omnes etiam collectiue, contra Panor.

CAP. XXI. *Ad Roma. Pontificem spectat, aliorum Episcoporum electiones confirmare.*

1 Sanctorum patrum testimonia.

2 Imperatores quandoque confirmatores fuerunt Episcoporum ex indulto sedis Apostolicæ, ut facilius hæreticis obsisteretur.

3 Quomodo & qua de causa huiusmodi priuilegia antiquata fuerint, & his per Imperatores renunciatum.

4 Confirmatio Imper. non tribuebat Rom. Pontifici auctoritatem & iurisdictionem, sed tantum robur electioni contra seditiosos & schismaticos.

CAP. XXII. *Rom. Pontificem maiorem & superiorem fore generali concilio.*

1 Panormitañ. Abbas negat, & exponit omnia de particularibus ecclesiis.

2 Sicut pastor maior est grege simul congregato, sic Rom. Pontifex maior domini-

co grege, non tantum singulis.
3 Inscriptiones patrum, in quibus Rom. Pontifex præponitur concilio.
4 Exempla plura, Rom. Pontifices absoluisse quos concilia damnauerant.
5 Papa a nemine iudicandus, nec etiam a concilio, nisi sit a fide deuius.
6 Quomodo & quo casu in generali sermone comprehenditur uniuersitas.
7 Potestas regendi ecclesiam spiritualis a solo Deo tribui potest.
8 Reseruauit sibi Christus iudicium uicarii sui.

CAP. XXIII. *Dissolutio obiectorum.*

1 Plus ualet regnum quàm rex, uerum in regno temporali.
2 Hominum electio designat tantum inungendum: a Deo & potestate diuina ordinatus per eligentes deponi non potest.
3 Non recte colligitur: portæ inferi aduersus ecclesiam præualere non possunt: ergo ecclesia superior Rom. Pontifice.
4 Interpretatio loci Hieron. orbis maior est urbe.
5 Non maior aut dignior uniuersalis ecclesia, quòd Rom. Pontifex illius pars sit.
6 Omnes Episcopi congregati cum Papa, non maiorem habent iurisdictionem ipso Papa.

7 Mater maior eſt filio ueneratione, non poteſtate.

8 Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, etiam Papæ: nec ſunt duo ſponſi, ſed unus: ſicut una iuriſdictio, & una ſponſa.

9 Papa eſt miniſter eccleſiæ, non tamen minor: ita & miniſter eſt Chriſtus, & miniſtri ſunt angeli electorum.

10 Dic eccleſiæ, Mat. XVIII. id eſt, ſi priuata perſona peccat, dic prælato: ſi publica, corã multitudine obiurga, uel eccleſiaſticam cenſuram adhibe.

11 Suprema auctoritas data eccleſiæ, a domino data eſt, cum iuncta eſt capiti ſuo Rom. Pont.

12 Ex loco Hierony. Epiſcopis datam omnem poteſtatem, non colligitur, datam auctoritatem ſupra Papam.

13 Ex eo quòd eccleſia irritam uidetur habuiſſe electiònem Clementis factam a Petro, non colligi eccleſiam ſuperiorem Papa.

14 Quod proceres ſynagogæ inſurrexerint contra Moyſem, non arguit ſuperioritatem eccleſiæ ſupra Papam.

15 Synodus ſubſcribit Pontifici, non quòd auctoritatem addat, ſed conſilium & firmitatem.

16 Quomodo Symachus & alii ſubiecerint ſe iudicio ſynodi.

17 Interpretatio c. Vrbes LXXX. & c. Prouinciæ XC. di.

18 Ex eo quòd Rom. Pontificis sententiæ examinatæ fuerint in concilio, non colligitur superioritas concilii.

19 Declaratio loci Ambrosii: qui uidetur fauere auctoritati concilii.

20 Declaratio c. De libellis XX. di. & c. Siquis II. q. VII. & c. Omnibus XXIIII. q. I.

21 Declaratio decreti Nicenæ synodi, quo uidetur Rom. Pont. non habere curam nisi circumadiacentium locorum, sicut Alexandriñ.

22 Licet Romana sedes prima sit propter Petrum qui ei præsedit; non propterea Hierosolymitañ. secunda, quia ei præsedit Iacobus secundus Apostolorum.

23 Apostoli omnes regunt ecclesiam, sed ordine suo.

24 Depositi a concilio & Imperatore sunt Papæ, uel non legitimi Papæ, uel iniuria & perperam.

25 Papa eget concilio, uel ut maturius & consultius deliberetur, uel ipse, si opus sit, ab errore reuocetur.

26 Concilium superius est, dubio & incerto Papa.

27 Sede uacante, non deest ecclesiæ sua dignitas & auctoritas, deest minister idoneus,

qui exequatur.

CAP. XXIIII. *Examen & interpretatio decreti Constantiensis concilij, de auctoritate concilij supra Papam.*

1 Decretum editum fuit non integro nec adhuc plenario concilio.

2 Decretum XL sessionis statuentis, propter quæ & quomodo Papa possit corrigi uel deponi; designat patres non habuisse primum pro edito.

3 Ex literis Martini V. editis in concilio Constantieñ. colligitur, patres non habuisse ratum decretum huiusmodi.

4 Decretum carere confirmatione Martini.

5 Si decretum non subsistit, quomodo ualida fuit depositio Io. XXIII. & electio Martini?

6 Declaratio literarum Martini in condemnatione Io. huss: ex quibus uidetur colligi, quòd error duntaxat est, negare primatum summi Pontificis super particulares ecclesias, non autem super uniuersalem, aut concilium.

7 Minus ualuisse decretum Basilieñ. concilii.

8 Declarandum decretum, quòd concilium præsit Papæ in casu schismatis, in casu incerti capitis, item in casu notæ hæresis.

CAP. XXV. Rom. Pontifex a concilio deponi non poteſt.

1 Teſtimonia ſanctorum patrum.
2 Declaratio ſententiæ ſancti Thomæ, recurrendum ad Deum, qui eum emendet, uel de medio tollat, ſi caret ſuperiore is, qui deliquit.
3 Locus Ezechiæ, Qui conſtituti ſunt a Deo ſpeculatores domus Iſrael, tenentur clangere tuba, & intimare malum.
4 Sedis Apoſtolicæ præſulem ſuo ſine quæſtione Deus reſeruauit arbitrio.
5 Papa dicere poteſt, Dominus eſt qui me iudicat.
6 Papæ culpas redarguere præſumat mortalium nullus.
7 In eccleſia aliquid ſpecialiter conſtituitur, quia nulla eſt ea ſuperior.
8 Apoſtolica ſedes de tota eccleſia habet iudicare.
9 Nunquam abſcinditur caput, quamuis ægrum & ulceroſum.
10 Dominus non mandauit abſcindi caput, ſi ſcandalo fuerit, ſicut alia membra.
11 Concilium cauſam Symmachi Papæ totam Dei reſeruauit arbitrio.
12 Item dixit Marcellino, Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio.
13 Concilium ſub Silueſtro decreuit, Nemo

iudicet primam ſedem.

14 Papa deponi non poteſt in generali concilio, ſicut nec Archiepiſcopus in prouinciali.

15 Dicant ſubditi Papę quod dixit Dauid Sauli, Iudicet dominus inter te & me.

16 Si deuiat terrena poteſtas, iudicatur a ſpirituali: ſi deuiat ſpiritualis, iudicatur minor a maiore: ſi uero ſuprema, a ſolo Deo non ab homine iudicari poteſt.

17 Cur propter alia crimina, quæ plus nocent eccleſiæ quàm hæreſis, Papa deponi non poſsit.

18 Tria ſunt quibus non præeſt ſed ſubeſt Papa, credenda, ſcilicet articuli fidei; agenda, præcepta moralia; medicamenta, ſacramenta. His ſtantibus, quæ tollere non poteſt Papa, non labitur fides nec eccleſia, licet ipſe labatur.

19 Et ſi Papæ mandato, quod repugnat iuri diuino aut naturali, non ſit obediendum, non tamen licebit in eum ſuperiorem agere, & a ſua ſede deiicere.

20 Etiam ſi Papa culpis & erratis ſuis eo deueniret, ut abſciſſo palmiti, infructuoſæ arbori, & ſali infatuato comparari poſſet: non tamen ſubſequitur, ergo ab hominibus iudicari aut deponi poterit.

21 Non ſubſequitur, concilium poteſt iudicare

Papam hæreticum, ergo etiam in minoribus delictis: nec est locus a maiori ad minus.

22 Declaratio gl. in c. Si Papa XL. dist. quæ fuit petra scandali.

23 Non suspicio hæresis, aut hæresis non uera subiicit Papam concilio.

24 Quomodo Papa moneri possit de crimine, & denunciari ecclesiæ.

CAP. XXVI. *Romanus Pont. concilio se submittere non potest ab eo iudicandus.*

1 Hæc inuicem pugnant, quòd quis sit Papa, & alteri subiiciatur.

2 Non potest Papa alteri concedere potestatem eum excommunicandi.

3 Vicarius non potest uniuersam iurisdictionem in alium transferre.

4 Nemo Papam nolentem parere iudicio, cui se submisisset, cogere posset ad parendum. propterea inane foret iudicium, & elusorium.

5 Quomodo Paschalis, Damasus, & Leo IIII se purgauerunt in concilio.

6 Nec Adrianus Carolo, nec Leo Ottoni se submiserunt: licet illis concesserint electionis Rom. Pontificis cõfirmationem.

7 Interpretatio l. est receptum. ff. de iudi.

8 Submissio fieri potest, cum plures contendunt de pontificatu.

CAP. XXVII. *Ad Rom. Pontificem spectat confirmare decreta & acta conciliorum.*

1 Testimonia & exempla sacrorum conciliorum.

CAP. XXVIII. *Ad Rom. Pontificem spectat, perperam celebrata concilia damnare.*

1 Testimonia sanctorum patrum & conciliorum.

CAP. XXIX. *Ad Rom. Pontificem spectat, ambiguitates declarare, quae super conciliorum decretis orirentur.*

CAP. XXX. *Rom. Pontifex potest dispensare super decretis conciliorum.*

1 In quacunque republica opus est auctoritate dispensandi in legibus suis, quòd plures recipiant uarietates & uicissitudines, propter quas non possunt omni casu obseruari.

2 Testimonia sanctorum patrum & conciliorum.

3 Multorum crimina damnabilia sunt, quæ tamen ecclesia tolerat, pro tempore, intuitu personæ, pietatis, aut utilitatis.

4 Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli: ita multa, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperare.

CAP. XXXI. *Rom. Pontifex potest conciliorum decreta abolere.*

1 Exemplum Ezechiæ, qui confregit serpentem æneum, quem dominus mandauerat exaltari in deserto.

2 Certitudinis ueritas uariatur secundum rerum uarietatem.

3 Non possunt leges humanæ habere illam immutabilitatem, quam habent principia in speculabilibus propter rerum uariabilitatem.

4 Rectum in rebus corporalibus non dicitur absolute, sed in ordine ad utilitatem communem.

5 Dissolutio obiectorum.

OPVS THOMAE CAMPEGII, BONONIENSIS, EPISCOPI FELTRENSIS, DE AVCTORITATE ET POTESTATE ROM. PONTIFICIS IN ECCLESIA DEI.

Dominus noster Iesus Christus ascendens in cœlum uicarium in terris dimisit, qui eius uice caput & rector ecclesiam regeret & gubernaret. Cap. I.



CVM de auctoritate Romani Pontificis in ecclesia dei, sit à nobis differendum; erit suscepti laboris exordium exponere, quòd, quamuis Christus Iesus, ut deus, & homo, caput sit uniuersæ ecclesiæ: ad Eph. cap. I. & IIII. &, quoad humanitatem, eiusdem sit naturæ cum hominibus: consentaneum tamen fuit, & con-
1 gruum, ut ex mortali factus immortalis, cum cœlum conscendit, aliquem in terris dimitteret, qui eius uice caput & rector ecclesiam regeret, ad quem mortalem mortales, & terrenum terreni homines, quibus cœli aditus ante obitum præcluditur, confugere possent, in illis rebus, in quibus, pro humani generis imperfectione, iudice egerent, & directore, ea ratione qua Deuter. XVI. constitutum

fuit, iudices ſedere in portis ciuitatis, ut facilius ab intrinſecis, & extrinſecis adiri poſſent. Et (ſi licet humanis diuina conferre) ſicut Moſes, conſcenſurus montem ad dei colloquium, ſui ipſius loco reliquit Aaronem, qui uices ſuas gereret ſuper plebem, cui interdictum erat aſcendere montem: ſic decuit Chriſtum, aſcendentem in cœlum, aliquem conſtituere, qui uices ſuas in terris gereret. quod hac ratione comprobatur. Tandiu decuit Chriſtum per ſe ipſum in terris eccleſiam regere, quandiu eiuſdem conſuetudinis fuit, & diſpoſitionis cum membris ſuis. cum autem poſt reſurrectionem immortalitatem eſt conſecutus, & alterius conſuetudinis factus eſt; æquum fuit, & decuit, aliquem nobis loco ſui dimittere, qui nobiſcum humanam uiuens uitam, nos regeret & gubernaret. unde ſuper illud, Io. XX, Noli me tan-
2 gere; dixit Chriſoſtomus, quòd uolebat mulier illa adhuc cum eo uerſari, ut ſolebat: & præ lætitia nihil de eo magnum cogitabat. ſed longe melius factus erat ſecundum carnem. Quare hac eam ſententia abducens, & ut reuerenter ſe alloquatur, admonens, dixit: Noli me tangere; quia, etſi eiuſdem naturæ ſim, ut prius, ſum tamen alterius uitæ, & alterius conuerſationis. Proinde prout ex ſententia Auguſtini in illud Ioan. XV.

Ego ſum uitis, & uos palmites; æquum fuit dei filium humanam carnem aſſumere, ut eſſet illa uitis, cuius palmites eſſe poſſemus: ſic æquum fuit, ex mortali factum immortalem, aliò properantem, cœlos aſcenſurum, quempiam nobis relinquere, qui nobis ſimilis eius uice in terris nos regeret. Hinc dixit
3 Innocen. in c. quod ſuper his, de uoto. Non fuiſſet Chriſtus diligens paterfamilias, ſi non dimiſiſſet in terra aliquem, qui uice ſua poſſet ſubuenire neceſsitatibus eccleſiæ. cuius ſententiæ fuit etiam S. Thomas lib. IIII. contra gentil. cap. LXXIIII.

4 Quòd ſi quis obiiceret: ſi Chriſtus exiſtens in cœlis eius naturæ, cuius nos palmites eſſe poſſumus, nos in terris ut præcipuum caput noſtrum regit, quid opus eſt alio in terris capite? quaſi minus idoneus ſit, exiſtens in cœlis, nos in terris uiuentes regere, adiutoreq; indigeat: is non bene colligit: quoniam eodem modo colligi poſſet, deus omnipotens prima eſt, & ſufficiens cauſa cunctarum rerum: ſuperuacuæ igitur ſunt ſecundæ cauſæ: quid ergo agros colimus? plantamus arbores? domus ædificamus? procreationi filiorum operam damus? aliaq; naturæ uel artis munia ſubimus, ſi ad hæc omnia ſufficit prima cauſa, deus omnipotens in cœlis exiſtens? ordo ipſe rerum ab ipſo ſum-

mo opifice hoc expoſcit, cuius ſapientiſsimi conſilii non eſt noſtrum exquirere cauſas: nec idonei ſumus ad illarum cognitionem peruenire. Regit Chriſtus exiſtens in cœlis ſuam in terris eccleſiam, illius primus moderator & rector: uoluit tamen & per alios munus ſuum in terris exequi, quos capitis nomine honoramus, quòd ipſius ueri capitis uices gerant.

Item quemadmodum deus omnipotens, qui ab initio creauit cœlum & terram, fecitq; terram germinare herbam uirentem, & lignum pomiferum, creauitq; cete grandia, & omnem animam uiuentem, quas pro duxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne uolatile ſecundum genus ſuum, & nouiſsime hominem ex limo terræ plaſmauit; potuiſſet poſtea in dies uirentia quæque, & animalia creare, hominesq; plaſmare, quinimo ſolo uerbo producere: uoluit tamen hæc ex propriis ſeminibus propagari. & ſicut uſque ad Noe per ſeipſum mundum gubernauit, deinde per ſacerdotes, iudices, & reges populum ſuum regi uoluit, cum tamen nec minus idoneus foret, nec adiutore indigeret: ſic & Chriſtus Ieſus, quamuis nobiſcum in terris conuerſatus, per ſe ipſum eccleſiam gubernauerit, aſcendens tamen in cœlum uoluit oues ſuas Petro paſcendas tradere, atque

per eum ecclesiam regi & gubernari. Nec propterea colligendum, eum esse minus idoneum, & adiutore indigere.

Petrus is fuit, quem Christus, ascendens in cœlum, loco sui dimisit in terris. Cap. II.

PETRVM autem eum fuisse, quem Christus, ascendens in cœlum, loco sui in terris dimiserit, eidem tradens ecclesiam suam regendam & gubernan
1 dam, deducitur ex illis ipsius uerbis, Pasce oues meas: quibus impleuit, quod promiserat. Matth. XVI. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quoniam pascere in sacris literis significat regere, & reges pastores dicebantur, iuxta illud Isaiæ XLIIII. Qui dico Cyro, pastor meus es: & Ezech. XXXIIII. Suscitabo super eum pastorem unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid. cum eo quod postea dixit: & seruus meus Dauid, princeps in medio eorum. Homerus etiam uocat Agamemnonem pastorem populorum.
2 Quòd autem uerba illa, Pasce oues meas, soli Petro, non omnibus dicta sint, colligitur ex priori interrogatione, Diligis me plus his? quæ ad omnes referri non potest. Sic & illa uerba, Tu es Petrus, & super

hanc petram &c. Quoniam dominus, cum omnes alloqueretur, non ad unum dirigebat sermonem, ut cum, Matth. XIX, Petro interrogante, omnibus respondit: Amen dico uobis, quòd uos qui reliquistis omnia, & secuti estis me: Cum Mar. VIII. Vos autem quem me esse dicitis? Io. XV. Quando misi uos: Lucæ XXII, Omnes uos scandalum patiemini: Matth. XXVI, Sic ergo orabitis: Lucæ XV, Quicunque non receperit uos: Matth. X, Vos autem contristabimini.

Sententia asserentium Datam Petro potestatem, cum ei à domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.
Cap. III.

SVNT tamen nonnulli, qui opinantur non solum promissam Petro primam in ecclesia potestatem, cum ei dictum est, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni coelorum; sed etiam datam; quoniam ab eo promissa, cuius, dixisse, fecisse est; & cuius nomen est fidelis, & uerax; nec sit deus quasi homo, ut mentiatur: Nume. XXIII. Nec refragari uerba futuri temporis, Aedificabo
1 ecclesiam, & tibi dabo claues: Cum mos

admodum familiaris fuerit ſacræ ſcripturæ, ponere modum pro modo, & tempus pro tempore: ſicut Ezechiæ XXXI, quæcunque de rege Aſſyriorum futura prænunciantur, quaſi tranſacta memorantur: & de cruce, & paſsione domini ante prænunciatum: Foderunt manus meas, & pedes meos: quaſi ouis ad uictimam ductus eſt: liuore eius ſanati ſumus: ab iniquitatibus populi ductus eſt ad mortem.

2 Quibus facere uidetur Auguſt. ſermone CXXIIII, De temporibus, his uerbis:
» Credendæ erant Petro claues regni cœlo-
» rum: credenda quoque erat ei populorum
» innumera multitudo; quæ eſſet ſuapte natu
» ra uitiis, paſsionibus, culpis inuoluta, ac
» peccatis. Denique ſic ad eum ait: Tibi dedi
» claues regni cœlorum. & quæ ſequuntur.
Nec enim putandum, Auguſtinum immemorem legi apud Mat. Tibi dabo: & non, Tibi dedi. Sed quia non dubitabat illam Chriſti promiſsionem, quam euangeliſta explicat uerbo futuri temporis, habuiſſe certum, & quaſi præſentem effectum, uſus eſt uerbo, Dedi, non, Dabo.

» Idem colligunt ex uerbis Hilarii in pſalmum LII, cum dixit, Neganti quidem Petro, claues regni cœlorum non ademit. Si enim non ademit, prius habuerat. Et in

» psalmum CXXXI, dum inquit: Cum quæ-
» dam de pasione sua ad discipulos locutus
» fuisset, & Petrus tanquam hoc indignum dei
» filio detestaretur: cui superius claues regni
» cœlorum dederat; super quem ecclesiam ædi
» ficaturus esset, aduersus quam portæ inferi
» nihil ualerent: qui quæ in terris uel soluisset,
» uel ligasset, ea in cœlis uel soluta, uel ligata
» persisterent: hunc inquam detrectantem sa-
» cramentum, tali excepit conuitio, Vade
» post me Sathana. Super quibus uerbis in-
duens Chrisostomus Christi personam, sic
» Petrum interrogat, Quid est, ò Petre?
» tu, qui reuelationem desuper habuisti, qui
» beatificationem consecutus es, cui claues re-
» gni cœlorum traditæ sunt, tam cito, adeoq;
» grauiter lapsus decidisti?

Adducunt etiam testimonium Anacleti, de quo in c. In nouo, XXI dist. cum dixit:
» In nouo testamento, post Christum domi-
» num à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia
» ipsi primo pontificatus in ecclesia dei datus
» est, domino dicente ad eum: Tu es Petrus,
» & super hanc petram ædificabo ecclesiam
meam. Et idem Anacletus in c. Sacrosan-
» cta. XXII dist. Sacrosancta, inquit, Ro-
» mana & apostolica ecclesia, non ab aposto-
» lis, sed ab ipso domino, & saluatore nostro
» primatum obtinuit: sicut beato Petro apo-

» ſtolo dixit, Tu es Petrus &c.

3 His tamen non obſtantibus, præferenda uidetur ſententia eorum, qui aſſeruerunt, per uerba illa non fuiſſe Petrum conſtitutum eccleſiæ paſtorem. nec enim, Chriſto cum hominibus conuerſante, & gregem ſuum paſcente, quem dirigentem ad opima paſcua oues ſuæ adire, & ſequi poterant, opus erat alio paſtore. quod declarauit Gregorius in Omelia dominicæ reſurrectionis,
» cum dixit, Magnum eſſe actum pietatis di-
» ſpenſatione cognoſcimus, ut is qui futurus
» erat paſtor eccleſiæ, in ſua culpa diſceret,
» qualiter aliis miſereri debuiſſet. & habetur in c. Conſiderandum. L diſt. Si enim futurus erat paſtor tempore paſsionis, non utique conſtitutus erat, quando ei dictum fuit: Tu es Petrus. Quæ autem adducuntur teſtimonia Auguſtini, Hilarii, Chriſoſtomi, & Anacleti, interpretanda ſunt, datam illam poteſtatem, quia ab eo promiſſa, qui nec fallit, nec fallitur, & cuius promiſsio pro implemento ſumi poteſt: quemadmodum creditor putat ſe in marſupio habere pecuniam, quam promiſit legalis debitor, qui fidem ſeruare conſueuit. Vel dici poteſt, habitu poteſtatem recepiſſe, dilatam executionem: ſicut in electo in epiſcopum dicimus, qui in electione iuriſdictionem quidem recipit, iu-

risdictionis usum, non nisi suscepto munere consecrationis.

Petrum, antequam ei dictum fuerit, Pasce oues meas; digniorem habitum, qui aliis præficeretur. Cap. IIII.

SED reuertamur, unde digressi sumus, & declaremus, priusquam ei dictum fuerit, Pasce oues meas, Petrum aliis digniorem indicatum, & à domino, & à condiscipulis dignum habitum, qui
1 aliis præficeretur, in primis ex eo, quod dominus dixit Petro, Lucæ XXII: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

2 Ex eo quòd solus Petrus super aquas maris ad dominum peruenerit, Matth. XIIII: quod esse signum pontificii dixit Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium.

3 Ex eo quod habetur Lucæ V: quòd, etsi aliis discipulis imperauit, ut laxarent retia, soli tamen Petro dixit, Duc in altum. Quod annotauit Ambrosius, & habetur in c. Non turbatur. XXIIII. quæst. I.

4 Ex eo quòd dominus in solutione tributi sibi Petrum æqualem fecit, Matth. XVII. de quo Augustinus lib. quæstionum noui & ueteris testamenti, quæstione LXXV in-
» quit: Cum dicunt didrachmatis exactores

» ad Petrum: magiſter ueſter num ſoluit di-
» drachma? quo dicto magiſtrum interpella-
» runt, ut pro omnibus ſolueret diſcipulis. Sal-
» uator autem illud pro ſe & Petro dari iu-
» bens, pro omnibus ſoluiſſe uidetur. quia ſi-
» cut in ſaluatore erant omnes magiſterii cau-
» ſæ, ita poſt ſaluatorem in Petro omnes con
» tinentur. quod idem annotauit Hierony-
» mus in Matth. XVIII. his uerbis: Poſt
» inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita,
» quid ſibi uult apoſtolorum repentina inter-
» rogatio? in illa hora acceſſerunt diſcipuli
» ad Ieſum dicentes, Quis putas maior eſt in
» regno cœlorum? quia ſcilicet uiderant à Pe
» tro, & domino idem tributum redditum; ex
» æqualitate pretii, arbitrati ſunt Petrum om-
» nibus apoſtolis eſſe prælatum, qui in red-
» ditione tributi domino fuerat comparatus.
» ideo interrogant, quis maior ſit in regno cœ
lorum. Eiuſdem ſententiæ fuerunt, Chri-
ſoſtomus in eum locum, & Orige. Omel. v.

5 Præterea ad Petri dignitatem, & prærogatiuam pertinere uidetur, quòd, etſi uarient euangeliſtæ in apoſtolorum enumeratione, omnes tamen Petrum primum ordine ponunt, alios non eodem ordine. Andream enim Simonis fratrem, quem ſecundum nominat Matthæus; Marcus, & Lucas in actibus poſuerunt quartum: Iacobus

Zebedei, qui quartus eſt Matthæo, Marco eſt ſecundus, Lucæ uero tertius. Ioannes, eius frater, apud Matthæum quintus eſt, apud Lucam in euangelio quartus, in actibus ſecundus, apud Marcum eſt tertius. & ſic de cæteris.

6 Eandem Petri dignitatem, & prærogatiuam agnoſcere poſſumus ex eo, quod Petrus ſæpius aliorum nomine reſpondebat. Interroganti enim domino apoſtolos, an & ipſi uellent abire, quòd multi diſcipulorum retro abiiſſent; reſpondit Petrus, Ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes: Io. VI. Interroganti Ieſu, Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus, Tu es Chriſtus filius dei uiui: Mat. XVI. Dicente domino, Et uos eſtote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis ueniet; ait ei Petrus, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Lucæ XII. Chriſto dicente, Diuites non facile regnum cœlorum ingreſſuros; reſpondet Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Mat. XIX, & Lucæ XVIII. Dum impleuiſſent diſcipuli ambas nauiculas piſcibus, procidens Petrus ad genua Ieſu dixit, Exi à me domine, quia homo peccator ſum: Lucæ V. Diſcipulis in mari laborantibus apparente domino, & dicente,

Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere; reſpondens Petrus dixit, Domine, ſi tu es, iube me uenire ad te ſuper aquas: Matth. XIIII. Transfigurante ſe domino in monte, dixit Petrus, Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi uis, faciamus hic tria tabernacula: Matth. XVII. De noxa remittenda accedens Petrus ad eum dixit, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Matth. XVII.

Petri dignitas, & prærogatiua ex his quæ poſt reſurrectionem domini dicta, aut facta ſunt.
Cap. V.

PETRI dignitatem, & prælationem oſtendunt plura, ab eo, & apoſtolis acta, & dicta poſt domini reſurrectionem, & illud in primis, quod habetur Act. I. dixiſſe Petrum, Viri fratres, oportet impleri ſcripturam, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os ſanctorum. Quod habetur de claudo ſanato ad ſpecioſam portam: Act. III. cum Petrus & Ioannes traditi ſunt in cuſtodiam, & in craſtinum in concilio conſtituti, dixit Petrus, Principes populi, & ſeniores audite. ſi nos diiudicamur in benefacto hominis infirmi: Act. IIII. cum Petrus ad Ananiam dixit, Cur

tentauit Sathanas cor tuum, mentiri ſpiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Act. V. cum Simoni mago cupienti pecunia emere
» ſpiritum ſanctum, dixit Petrus, Pecunia
» tua tecum ſit in perditionem, quoniam do-
» num dei exiſtimaſti pecunia poſsideri:
» Act. VIII. cum ſurrexiſſent quidam de
» hæreſi phariſæorum, qui crediderunt, di-
» centes, Quia oportet circuncidi eos: & con-
» ueniſſent apoſtoli, & ſeniores uidere de uer
» bo hoc, Petrus dixit ad eos, Viri fratres,
» uos ſcitis quoniam ab antiquis diebus deus in
» nobis elegit per os meum audire gentes uer-
» bum euangelii, & credere: Act. XV. In quo concilio, teſte Hieronymo ad Aug. in epiſtola, cuius initium eſt, Tres ſimul epiſtolas: in ſententiam Petri, Iacobus, & omnes presbyteri ſimul tranſiere.

Ad idem deducitur, quod Petro dictum fuit, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: aliis uero, Ligatum & in cœlo: quaſi uberior poteſtas data fuerit Petro. quod annotauit Origenes.

Teſtimonia Patrum pro Petri primatu. Cap. VI.

SI TESTIMONIA ſanctorum patrum poſtulentur, habemus Anacletum, ſiue tertius, ſiue quartus fuerit Rom. Pontifex poſt Petrum, qui cano-

» ne XIIII dixit: In nouo testamento, post
» Christum dominum à Petro sacerdotalis coe
» pit ordo: quia ipsi primo pontificatus in ec-
» clesia Christi datus est, dicente domino ad
» eum, Tu es Petrus, & super hanc petrã &c.

» Contestis est Cyrillus Alexandrin. Pa-
» triarcha; qui inquit. Sicut Christus acce-
» pit à patre sceptrum super omnem potesta-
» tem, & principatum, & super omne quod-
» cunque est, & ut ei omnia curuentur, ple-
» nissimam potestatem: sic & Petro, & eius
» successoribus plenissime commisit, ut etiam
» nulli alii quàm Petro Christus, quod suum
» est plenum, sed ipsi soli dedit.

His astipulatur Eusebius, Cæsariensis epi
scopus, lib. II ecclesiasticæ historiæ, cum
» ait: In ipsis Claudii temporibus clementia
» diuinæ prouidentiæ probatissimum omni-
» um apostolorum, & maximum fidei ma-
» gnificentia, & uirtutis merito, primorum
» principem Petrum ad urbem Romam, ue-
» lut aduersum humani generis communem
» perniciem repugnaturus, deducit, ducem
» quendam & magistrum militiæ suæ, scien-
» tem diuina prælia gerere, & uirtutum ca-
» stra ductare. Iste adueniens ex orientis par-
» tibus, ut cœlestis quidem negociator, merci-
» moniam diuini luminis, si quis uelit compa
» rare, aduexit, & salutaris prædicationis uer

» bo, primus in urbe Roma euangelii ſui cla-
» uibus ianuam regni cœleſtis aperuit.

Ab his non diſſentit Hieronymus, libro de obitu, ſeu ortu ſanctorum noui teſtamenti, cum dixit, Petrus in Chriſto eccleſiæ fundamentum, Cephas corporis Chriſti princeps & caput eſt.

Auguſt. autem ſuper illud pſalmi XLIII, Deus deorum locutus eſt, poſt alia inquit,
» Deinde quadrageſimo die ſcilicet aſcenſio-
» nis, commendauit ſancto Petro eccleſiam,
» ideſt uocatam terram à ſolis ortu uſque ad
» occaſum, ne haberent excuſationem, qui uo
» lunt in ſchiſmate perire. Et ſuper illis uer-
» bis, Sic eum uolo manere, donec ueniam,
» quid ad te? inquit, Duas uitas ſibi diuini-
» tus prædicatas nouit eccleſia, unam in fide,
» alteram in ſpe: una ſignificata eſt per apo-
» ſtolum Petrum, propter ſui primatum.
» Et in libro de unico baptiſmo, dixit, Puto
» quòd ſine ſui contumelia Cyprianus epiſco-
» pus Petro comparetur, quantum attinet ad
» martyrii coronam. cæterum magis uereri
» debeo, ne in Petrum contumelioſus exi-
» ſtam. Quis enim neſcit primatum cuilibet
» epiſcopatui præferendum? Et habetur in c.
Puto. II. quæſt. V.

Idem Auguſt. lib. II contra Donat. ci-
» tat Cyprianum his uerbis, Commemorat

Cyprianus

» Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſan
» ctis didicimus, apoſtolum Petrum, in quo
» primatus apoſtolorum tam excellenti gratia
» præeminet, aliter quàm ueritas poſtulabat
» de circuncißione agere ſolitum, à poſteriore
» paulo fuiſſe correptum.

Adducamus & Ioannem Chriſoſtomum,
» qui ſuper Act. apoſtolorum inquit: Petrus
» à filio ſuper omnes, qui filii ſunt, poteſta-
» tem accepit, non ut Moſes in gente una, ſed
» in uniuerſo orbe, dicente Petro, Paſce o-
» ues meas.

Audiamus & magnum illum Leonem, quem tubam euangelicam appellarunt, ſermone primo conſecrationis ſuæ, ubi tractans illud, Lucæ XXII, Simon, ecce Satha-
» nas expetiuit uos, inquit: Commune erat
» omnibus apoſtolis periculum de tentatione
» formidinis, & diuinæ protectionis auxilio
» pariter indigebant, quoniam diabolus om-
» nes cupiebat elidere: & tamen ſpecialis à do
» mino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri
» proprie ſupplicatur, tanquam aliorum ſta-
» tus certior ſit futurus, ſi mens principis uicta
» non fuerit. In Petro ergo omnium fortitu-
» do munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur
» auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Pe
» tro attribuitur, per Petrum apoſtolis con-
» feratur. Et in ſermone III inquit, Mul-

» to dignius est ad beatissimi Petri gloriam
» contemplandam aciem mentis attollere, &
» hunc diem in illius potissimum ueneratione
« celebrare, qui ab ipso omnium charismatum
» fonte ita copiosis irrigationibus inundatus,
» ut cum multa solus, nihil in quenquam sine
» eius participatione transierit.

Idem ad Anastasium scribens inquit,
» Sicut in uno corpore multa membra habe-
» mus, omnia autem membra non eundem
» actum habent: ita multi unum corpus sumus
» in Christo, singuli autem alter alterius mem
» bra. hæc connexio totius quidem corporis
» unitatem requirit, sed præcipue exigit con-
» cordiam sacerdotum: quibus tametsi sacer-
» dotii sit dignitas communis, non est tamen
» ordo æqualis: quoniam & inter beatissimos
» apostolos, in similitudine honoris, fuit quæ-
» dam discretio potestatis: at cum omnium
» par electio, uni tamen datum est, ut cæte-
» ris præemineret.

Leoni comitem demus Innocentium, li-
bro de officio missæ, cap. de primatu Ro-
» mani pontificis, dum inquit: Omnibus au
» tem apostolis Christus unum caput præpo-
» suit, cui totius ecclesiæ principatum, & ante
» passionem, & post passionem commisit.
» Ante passionem dixit, Tu es Petrus, & su-
» per hanc petram ædificabo ecclesiam meam.

» Licet enim uniuerſis apoſtolis dixerit, Quo-
» rum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &
» quorum retinueritis, retenta ſunt: princi-
» paliter tamen Petro commiſit, cum dixit,
» Quodcunque ligaueris ſuper terram. Pe-
» trus ergo ligare poteſt cæteros, ſed ligari
» non poteſt à cæteris. Nam & illud particu-
» lariter dictum eſt, Quodcunque ligaueris ſu
» per terram. Circa paſsionem autem, cum di
» xiſſet de omnibus, Simon, ecce Sathanas
» expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum: ſin-
» gulariter tamen Petro ſubiunxit, Et tu ali-
» quando conuerſus confirma fratres tuos. Ad
» Petrum igitur, tanquam ad magiſtrum per-
» tinet cæteros confirmare; cuius fides in nul
» la tentatione deficit. Fides autem apoſtolicæ
» ſedis, ſupra firmam petram ſtabili ſoliditate
» fundata, nullis unquam erroris ſordibus po
» tuit inquinari, ſed abſque ruga manens, &
» macula, pro neceſsitate temporis maculas de-
» terſit errorum. Poſt paſsionem autem, cum
» tertio requiſiſſet à Petro: Simon Ioannis,
» diligis me plus his? & ille tertio reſpondiſ-
» ſet: Tu ſcis domine, quia amo te: tertio
» quoque præcepit: Paſce oues meas: ſtatimq;
» ſubiunxit: Sequere me. Petrus autem ſe-
» cutus eſt Chriſtum, non ſolum in genere
» martyrii, ſed etiam in ordine magiſterii. &
reliqua.

Petri auctoritas, & prærogatiua comparata aucto ritati datæ ecclesiæ, et alijs apostolis. Cap. VII.

I QVAE dicta sunt Petro à Christo Iesu, comparentur his quæ dicta sunt apostolis, & ecclesiæ, magis perspicua erit Petri auctoritas, & prærogatiua. Et primo consideremus, quòd etsi Natanahel cum dixit, Tu es Christus filius dei, confessus fuerit eum dei filium, Io. primo. & qui in nauicula erant, cum dixere: Vere filius dei es: Matth. XIIII. Quin etiam Petrus ipse omnium nomine confessus fuerit, Et nos credimus, & cognoscimus, quia tu es Christus filius dei: putantes quòd per adoptionem, iuxta illud Ioan. primo, Dedit eis potestatem filios dei fieri. At Petrus non solum confessus est Christum filium dei, sed filium dei uerum & naturalem, cum dixit: Tu es Christus filius dei uiui. quòd uiuentis naturale sit quale est ipse gignere: quapropter promeruit illam recipere promisionem, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Et tibi dabo claues regni cœlorum. non autem alii. Nec ex eo quòd dominus omnes interrogauit, Vos autem quem me esse dicitis? subsequitur, post Petri responsum sermonem ad omnes dirigi: quoniam Christus sæpius diuertit ser

monem à pluribus ad unum, & ab uno ad
plures. Sicut cum mater filiorum Zebe-
dæi petiit, ut ſederent filii ſui, unus ad dexte-
ram, alius ad ſiniſtram; dominus reſpon-
dens, ſermonem dirigit ad filios, dicens: Po
3 teſtis bibere calicem? quòd autem ab omni-
bus ad Petrum conuerſus ſit ſermo, atteſtan
tur Matthæi uerba; ex eo quòd cum primo
& ſecundo interrogans diſcipulos, præcepit
ut nemini dicerent, quòd ipſe eſſet Ieſus.
quòd ſi priora uerba, ſuper hanc petram ædi
ficabo eccleſiam meam, & portæ inferi &c.
directa fuiſſent diſcipulis, non opus fuiſſet di
cere: Tunc præcepit diſcipulis ſuis, ut ne-
mini dicerent, quòd ipſe eſſet Ieſus: ſed ſat
erat dixiſſe: Tunc præcepit, ut nemini dice-
rent. Nec his repugnat, quòd domini inter-
rogatione cauſa reddita uideretur communis
Petro & cæteris, quoniam cum hac priori
communione ſtat quòd ipſi Petro facta fue-
rit poſterior promiſsio: ſicut in communi
cauſa tentationis, cum Lucæ XXII dictum
eſt, Simon, ecce Sathanas expetiuit uos,
ut cribraret ſicut triticum. & quæ ſubſe-
quuntur, Et tu aliquando conuerſus con-
firma fratres tuos: ad uniuerſos referri non
poſſunt: propterea dixit: Rogaui pro te Pe
tre, non, pro uobis, imo alios Petro com-
mendauit.

4 Differentiam autem inter Petrum de ſe loquentem, & alieno nomine, annotare poſſumus Io. VI. quo loco Petrus pro omnibus reſpondens interroganti Chriſto, Nunquid & uos uultis abire? dixit: Ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognoſcimus, quia tu es Chriſtus filius dei. quæ omnia expreſſa ſunt plurali numero. Nonne ego XII elegi, & ex uobis unus eſt diabolus? Mat. autem XVI, uerba omnia à Chriſto dicta, ſingulari numero proferuntur, Tibi dabo, non, uobis: quodcunque ligaueris, non, ligaueritis: tu es Petrus, non, uos eſtis Petrus. Fuit tamen Petri reſponſio plurali numero enunciata, tanquam omnibus grata & accepta, ne ſingulos oporteret reſpondere. quod etiam ſuperioritatem deſignat.

5 Quamuis autem quod dominus Mat. XVI: ante paſsionem ſoli Petro dixerat: Quodcunque ligaueris ſuper terram &c. id poſt reſurrectionem dixerit omnibus apoſtolis Io. XX: non propterea cenſendum, æquam cum Petro cæteris tributam poteſtatem: quoniam cum ſoli Petro dictum eſt, Paſce oues meas, ſoli Petro ut omnium paſtori data eſt auctoritas alios regendi, aliis uero ut ouibus de ouili, expreſſa parendi neceſsitas; qui etſi ſacerdotes forent, & epiſcopi, uale-

rentq; ex apostolatus officio ubique locorum uerbum dei prædicare, & dominicum gregem pascere, mandante eis domino, ut docerent omnes gentes, Mat. ultimo: Nemo tamen eorum, Petro excepto, in alterum ulla fungebatur potestate. pares itaque erant in apostolatus officio, impares dignitate, iurisdictione, & administratione.

6 Ex his colligere possumus, quomodo interpretari debeamus, quæ habentur in c. In nouo. XXI dist. & in c. Sacrosancta. XXII
» dist. quòd cæteri apostoli pari consortio
» cum Petro honorem acceperint, & potesta-
» tem. & in c. Loquitur. XXIIII. quæst. I.
» cum dicitur: Hoc erant utique cæteri apo-
» stoli, quod Petrus fuit, pari consortio præ-
» diti honoris, & potestatis. quamuis nonnulli interpretentur de paritate ordinis, non autem iurisdictionis: & alii, quòd pares erant, dum Christus cum hominibus conuersaretur, cui omnes subiiciebantur, non Petro: eo autem ascendente in cœlum, & post traditas Petro oues pascendas, omnes Petrum ut pastorem superiorem agnouisse.

7 Quod uero dixit Hieronymus, super il-
» lud, Quodcunque ligaueritis, Habent qui-
» dem eandem iudiciariam potestatem alii apo
» stoli, quibus post resurrectionem dominus
» dixit, Accipite spiritum sanctum, quorum

» remiſeritis &c. habet eccleſia in epiſcopis,
» presbyteris, & clericis: ſed ideo Petrus ſpe-
» cialiter accipit, ut omnes intelligant, quòd
» quicunque ab unitate fidei, & ſocietate eius
» ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœ-
» lum ingredi poteſt; interpretandum eſt de iudiciaria poteſtate ligandi in pœnitentiali foro. quod declarant uerba illa, quibus poſt reſurrectionem dominus ait: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c. Et quod dicit, Vt omnes intelligant, quòd quicunque ab unitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum ingredi poteſt. Et ſic interpretanda eſt glo. ſuper illud Matth. XVI. Quodcunque ligaueris: quæ ſecuta Hieronymum, fatetur omnibus apoſtolis datam iudiciariam poteſtatem, de iudicio ſcilicet diſcernendi inter lepram & lepram: quæ poteſtas eſt ordinis: non de iudiciaria contentioſi fori. Tum quia illa auctoritas, Matth. XVI, loquitur de poteſtate ligandi, & ſoluendi à peccatis: tum quia gl. ſubſequenter ſeipſam declarat, cum dicit: Homo reconciliatur eccleſiæ per iudicium ſacerdotis. Hinc dixit ſanctus Thom. in IIII Sententiarum, diſt. XIX. art. IIII, dum reſpondet ad id quod habetur Io. XX: ad peccatorum ſolutionem duplicem requiri poteſtatem, ordinis, & iuriſdictionis: pri

mam æqualiter habuiſſe omnes ſacerdotes, non autem ſecundam. Et ideo dictum Ioan. XX. quòd apoſtolis omnibus data eſt poteſtas dimittendi peccata, intelligendum eſt de poteſtate, quæ ordinem concomitatur. & ea de cauſa, in ſacerdotum ordinatione illa proferuntur uerba, Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c. Et ſiquis dixerit: Quomodo interpretari poteſt de ordinis poteſtate, cum illam prius recepiſſent, quando ſcilicet in cœna domini facti fuerant ſacerdotes:
8 reſponſum inuenies à ſancto Thoma, in IIII. diſt. XXIIII. q. II. art. III. quòd dominus dedit diſcipulis ſuis poteſtatem ſacerdotalem, ante paſſionem, quoad principalem actionem, cum dixiſſet: Accipite, & manducate, hoc facite in meam commemorationem: poſt reſurrectionem uero eam dedit poteſtatem, quæ ad actionem ſecundariam attinet, quæ eſt, ligare & ſoluere. Idem ſanctus Thomas contra gentiles cap. LXXII. dixit ad iudiciariam poteſtatem duo requiri, ſcilicet auctoritatem cognoſcendi de culpa, & poteſtatem abſoluendi & condemnandi: & hæc duo nuncupari eccleſiæ claues, diſcernendi ſcilicet ſcientiam, & poteſtatem ligandi & ſoluendi, quas dominus Petro promiſit, Matth. XVI. Tibi dabo claues: deinde ſu-

biiciens: Sic ergo patet, quòd minister ecclesiæ in usu clauium iudicium quoddam exercet. nulli autem iudicium committitur, nisi in sibi subditos. Unde manifestum est, quòd non quilibet sacerdos potest absoluere à peccato, sed is qui recipit potestatem, cui scilicet cum traditione potestatis traditur usus illius: quod fit cum præficitur curæ animarum, aut alias huiusmodi tribuatur potestas.

9 Ex his colligi potest interpretatio alterius loci Hieronymi, de septem gradibus ecclesiæ, cum dixit Christum dedisse omnem potestatem discipulis: dedisse scilicet eis omnem potestatem ligandi in foro conscientiæ, sicut apostolis; sumendo declarationem à subiecta materia: & in hoc erit inter eos paritas: sed quoad alia, apostoli, & ex consequenti episcopi sunt maiores, teste eodem Hieronymo, cum in eadem epistola dicit:
» Quoniam quicquid in clericis consecratum
» esse prædidicisti, episcopum solum habere
» manifestum est. In illis esse partes & mem-
» bra uirtutum, in episcopo plenitudinem di-
» uinitatis corporaliter habitare: atque ita ut
» in episcopis deum, in presbyteris apostolos
» recognoscas. Non tamen subsequitur, Data est omnis potestas episcopis, ergo episcopi maiores sunt Papa: Sicut non infertur,

Data eſt omnis poteſtas diſcipulis, qui presbyteros referunt, ergo ſunt maiores epiſcopis, quos conſtat maiores eſſe presbyteris: cum Chriſtus apoſtolos inſtituerit, tanquam maiores ſacerdotes, diſcipulos uero minores. c. Decretis. XXI diſt. Proinde Matthias ex ordine diſcipulorum aſſumptus eſt in ordinem apoſtolatus, tanquam ex minori ordine ad maiorem, & digniorem. Et ſi dicatur, Qui omnia dicit, nihil excludit, iuxta illud apoſtoli ad Heb. II. In hoc quòd omnia ei ſubiecit, nihil omiſit non ſubiectum illi: reſpondetur, regulam illam interpretandam, ſecundum ſubiectam materiam, de ligandi & ſoluendi poteſtate in foro pœnitentiali, in qua (ut diximus) apoſtoli ſunt pares.

10 Nondum recedendo ab iſta paritate poteſtatis, diſcutiamus locum Matth. XIX, cum Petro interroganti dominum, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? dixit: Amen dico uobis, quòd uos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, tunc & uos ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. ex quo loco colligi uidetur non ſolum paritas auctoritatis, & poteſtatis ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, cum dicatur, Sedebitis iudicantes duodecim tribus Iſrael. Sed dici-

mus, quôd ſi interpretari uolumus de regeneratione ſpiritus, quæ fit per gratiam in baptiſmo, de qua primæ Petri cap. I. Regenerauit nos in ſpem uiuam: non ſubſequitur, Sedebitis omnes iudicantes &c. Ergo eritis omnes iuriſdictione pares: cum poſsint omnes iudices eſſe, non tamen pari iuriſdictione: ac etiam ſi pari, unus tamen principaliter, alii uero per ipſum: quemadmodum capitis operationes toti corpori tribuuntur, ut aliâs diximus. Si uero interpretari uolumus de reſurrectione corporis, de qua apoſtolus ad Philippen. ſic ſcribit: Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ; nihil conducit cauſæ noſtræ, cum nobis ſit ſermo de auctoritate Petri, & apoſtolorum, in terris, non autem in cœlo.

11 Similiter ex eo, quod habetur Matthæi XXIII. Nolite uocari rabi: unus eſt enim magiſter ueſter, & uos omnes fratres eſtis: & patres nolite uocari ſuper terram: unus eſt enim pater ueſter, qui in cœlis eſt. nec uocemini magiſtri, quia magiſter ueſter unus eſt Chriſtus; non excluditur unius præſidentia. quoniam uoluit dominus humilitatem docere, & nequis ſuperioritate extollatur, & ſuperbiat: non autem quòd unus non ſit altero maior: quinimo, quòd

unus ſit alio maior, declarant quæ ſubſequuntur uerba: Qui maior eſt ueſtrum,
12 erit miniſter ueſter. Idem dicitur de eo, quod habetur Matthæi XX. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter uos. & de eo quod habetur Lucæ XXII. Facta eſt contentio inter eos, quis eorum uideretur eſſe maior, quibus dixit dominus: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici uocantur: uos autem non ſic, ſed ſiquis maior eſt in uobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſter.

Quæ ſint claues eccleſiæ. Cap. VIII.

CVM de clauibus eccleſiæ inciderit ſermo, antequam uideamus cui, aut quibus datæ ſunt, diſſerendum uidetur, quæ ſint iſtæ claues. Et dicimus has duas eſſe, ordinis unam, iuriſdictionis alteram, ſeu ſcientiæ, & poteſtatis. De clauibus ſcientiæ, habemus dominum illarum uſum exprobrantem Scribis & Phariſæis, Lucæ XI: Væ uobis legis peritis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.

» De claue poteſtatis, Super cathedram Moy
» ſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. omnia ergo
» quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite.
2 » Hieronymus in Mat. cap. XVI. aſſerit eos,
» qui iudicii clauem à poteſtate ſeparant, ali-
» quid ſibi de phariſæorum ſupercilio aſſume-
» re, ut uel damnent innocentes, uel ſoluere
» ſe noxios arbitrentur: cum apud deum non
» ſcientia ſacerdotis, ſed reorum uita quæra-
» tur. Legimus in Leuitico de leproſis, ubi iu
» bentur, ut oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi le
» pram habuerint, tunc à ſacerdote immundi
» fiant: non quòd ſacerdotes leproſos faciant,
» & immundos, ſed quo habeant notitiam le-
» proſi, & non leproſi, & poſsint diſcernere,
» qui mundus, qui'ue immundus ſit. Quem-
» admodum igitur leproſum ſacerdos, mun-
» dum uel immundum facit, ſic & hic alligat
» uel ſoluit epiſcopus, uel presbyter: non eos
» inſontes facit, aut noxios, ſed pro officio ſuo,
» cum peccatorum audierit uarietates, ſcit quis
» ligandus ſit, quis'ue ſoluendus. Hæc Hie-
3 ronymus. Quomodo autem ſoluantur pec-
cata claue ſcientiæ, habemus à Chriſoſtomo,
» libro III de ſacerdotio, his uerbis: Intelli-
» ge quanto ſacerdotes honore, quanta digni-
» tate ſpiritus ſancti gratia dignata fuerit. Ete-
» nim qui terram incolunt, atque in ea uerſan-
» tur, his datum eſt, ut poteſtatem habeant,

» quam deus optimus maximus neque ange-
» lis, neque archangelis datam eſſe uoluit. ne-
» que enim illis dictum eſt: Quæcunque liga-
» ueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.
» Habent quidem & terreſtres principes uin-
» culi poteſtatem, uerum corporum ſolum.
» Id autem, quod dico, ſacerdotum uinculum
» ipſam etiam animam contingit, uſqueadeo
» ut quæcunque operati fuerint ſacerdotes in-
» ferne, illa eadem deus ſuperne rata habeat,
» ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet.
» Iam quid ipſum eſſe dicit, niſi omnem re-
» rum cœleſtium poteſtatem illis à deo conceſ
» ſam? Quorumcunque enim, ait, peccata re-
» miſeritis, remittuntur eis, & quorumcun-
» que retinueritis, retenta ſunt. cedo, quæ-
» nam poteſtas hac una eſſe maior queat? pa-
» ter omne iudicium dedit filio: at uideo à fi-
» lio totum ſacerdotibus eſſe commiſſum. Et
» infra: Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis ho-
» norem hunc impartitus fuerit, ut poteſta-
» tem habeat quoſcunque uelit in carcerem
» coniiciendi, eoſdemq; rurſus relaxandi, is ni
» mirum beatus, & admirandus iudicio om-
» nium erit. at uero qui à deo tanto maiorem
» accepit poteſtatem, quanto cœlum terra pre-
» tioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus
» præſtant, num is contemnendum miniſte-
» rium accepiſſe putandus eſt? certe inſania

» manifeſtaria eſt, tantum deſpicere principa-
» tum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſ-
» ſorum bonorum compotes fieri poſſumus.
» nam & præter baptiſmum, & ſacroſanctam
» euchariſtiam, quæ manibus ſacerdotum per-
» ficiuntur, condonandorum etiam peccato-
» rum facultatem habent. Idem Chriſoſt. in
illud Matth. XV. Tibi dabo claues regni
» cœlorum, inquit: Huiuſmodi mortali, cœ
» li, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt,
» commiſit poteſtatem deus, ut eccleſiam ua-
» lidiorem cœlo demonſtrauit. quòd Trape-
zuntius ſic uertit: Vt quamuis homo eſſet
mortalis, cœleſti tamen poteſtate polleret,
& claues haberet regni cœlorum: ita Petrus
eccleſiam per uniuerſum orbem amplifica-
tam, cœlo etiam ipſo ualidiorem monſtrauit.

Cui datæ ſint claues eccleſiæ. Cap. IX.

NVNC autem uideamus, cui datæ ſint claues eccleſiæ, utrum Petro ſoli, an omnibus apoſtolis ex æquo, an uero Petro principaliter, aliis uero per Petrum, ut ex hoc magis perſpicua ſit Petri
1 auctoritas, & dignitas. Et quidem probabilis ſententia uidetur, ſoli Petro datas huiuſmodi claues, quoniam ſoli Petro reuelatum fuit, Chriſtum eſſe filium dei uiui, ex quo ſolus dixerat, Tu es Chriſtus filius dei uiui:
& ei

& ei ſoli dictum fuit, Beatus es Simon: non
autem aliis, beati uos eſtis. Et licet omnes
interrogati fuerint, Quem uos me eſſe dici-
tis? & Petrus pro omnibus reſponderit:
non tamen omnibus ex æquo, ſed Petro da
tæ, & aliis per Petrum. & quemadmodum
2 corpus à capite dependet, & quod capiti tri
buitur, & corpori in ſuo capite datum cen-
ſetur: itidem quod dicimus Petrum accepiſ-
ſe claues, non excludit, quin potius infert,
eccleſiam illas accepiſſe, ut à Petro ipſius
capite ſignificatam. & ſic interpretandum
quod habetur in c. Quodcunque XXIIII.
» q. I. ex Auguſt. ſuper Io. quodcunque li-
» gaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.
» ſi hoc Petro tantum dictum eſt, non hoc fa-
» cit eccleſia: ſi autem in eccleſia ſit, Petrus,
» quando claues accepit, eccleſiam ſanctam ſi-
3 gnificauit. & quod dixit in pſalm. C.VIII.
» Sicut quædam dicuntur, quæ ad apoſtolum
» Petrum uidentur pertinere, neque tamen ha
» bent illuſtrem intellectum, niſi cum referun
» tur ad eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in fi-
» gura geſsiſſe perſonam, propter primatum,
» quem in diſcipulos habuit: ſicut eſt, Tibi da
» bo claues regni cœlorum: & ſi qua huiuſmo
» di: ita Iudas perſonam quodammodo ſuſti-
» net inimicorum Chriſti. Illuſtris enim in-
tellectus, Petrum recepiſſe claues: illuſtrior,

ecclesiam per eum significatam recepisse, cum datæ fuerint Petro propter ecclesiam, principaliter tamen Petro. Et hoc est, quod dixit idem August. de agone Christiano:
» Non sine causa inter apostolos ecclesiæ ca-
» tholicæ personam sustinet Petrus. Huic e-
» nim ecclesiæ claues datæ sunt, cum Petro da
» tæ sunt. Et, de doctrina Christiana, capite
» XVIII. Has claues dedisse ecclesiæ suæ.

Quamuis autem Petrus sustineat personam ecclesiæ, & eam representando uideatur quodammodo illius figura: non tamen subsequitur, non pro se, sed tantum pro ecclesia suscepisse claues; ut res figurato, non figuræ tribuatur. quoniam, etsi cum aliquid significatur per uiam parabolæ, sicut filius prodigus significat peccatorem, operarii ad uineam conducti cultores dei in ecclesia, & huiusmodi; nulla sit cura de significantibus personis, cum tantum ad significationem assumantur: secus tamen, cum res uere gesta aliam significat: sicut transitus Iudæorum per mare rubrum, nostrum de uitiis ad uirtutem transitum præfigurat: Magorum aduentus ad Christum adorandum, uiatorum progressum ad cœlestem patriam: & aliæ plures figuræ uaria præfigurarunt, firma manente historiæ ueritate: quoniam tunc opus est primum res gestas de hismet, de quibus

in historia fit mentio, ueras esse; deinde elici spiritualem sensum, quo aliud quid præfiguratur. Hoc secundo modo Petrus repræsentat, & figurat ecclesiam. propterea uerba illa, Tibi dabo claues regni cœlorum, referenda primum sunt ad Petrum ipsum, & censendum ipsi factam promissionem clauium: deinde admittendus mysticus sensus, promissas ecclesiæ claues in persona Petri.

5 Nec his repugnat quod dixit idem Aug.
» sermone de apostolis: Has claues non ho-
» mo unus, sed unitas accepit. quoniam illud intelligendum est, quòd non homo unus claues accepit taliter, quòd nullus alius nisi ipse: sicut de sole dici potest, quòd non solus lucet, quia lucem suam aliis communicat: tamen solus dicitur esse, & solis nomen sortitur, quia solus propria luce lucet. Sic Petrus solus recepit claues, quia principaliter, & immediate; alii uero per ipsum; à quo in alios potestas clauium deriuatur. Propterea Gelasius, & habetur in c. Legatur. XXIIII.
» q. II. de Christo sentiens dixit: Et qui tan
» tum faciendi solus habuit potestatem, bea-
« to Petro apostolo principaliter mandauit,
» Quodcunque ligaueris &c. Et Alex. II. & habetur in c. Audiuimus. XXIIII. q. I. quòd
» cum omnibus discipulis parem ligandi at-
» que soluendi potestatem dominus daret, Pe

» tro pro omnibus, & præ omnibus claues re-
» gni cœlorum se daturum promisit. Quibus
concordat text. in c. Decretis in fi. XXI.
» dist. cum dicit, quòd dominus Petrum qua-
» si in summum sacerdotem elegit, dum ei pro
» omnibus, & præ omnibus claues regni cœ-
» lorum se daturum promisit. & text. in c. In
illis. LXXX dist. iuncta gl. dum in fine di-
» citur, Quoniam neque inter apostolos par
» fuit institutio, sed unus præfuit omnibus.
quod glosator declarat præfuisse omnibus administratione, etsi consecratione pares extiterint.

His se subscribit sanctus Tho. in IIII. sen ten. dist. XXIIII. q. III. art. II. cum in-
» quit, quòd quamuis omnibus apostolis da-
» ta sit communiter potestas ligandi atque sol-
» uendi; tamen ut in hac potestate ordo ali-
» quis significaretur, primo soli Petro data
» est; ut ostendatur, quòd ab eo in alios de-
» bet ista potestas descendere. Et in IIII.
» contra gentil. cap. LXXVI. dicit, quòd
» dominus soli Petro promisit, Tibi dabo cla
» ues regni cœlorum, ut ostenderet, quòd po
» testas clauium erat per eum ad alios deriuan
» da, ad conseruandam ecclesiæ unitatem.

6 Quod autem habetur in c. firmiter §. unam sanctam. de summa Trinit. quæ fuit constitutio Lateranensis concilii sub Innoc.

III. quòd Chriſtus conceſsit eccleſiæ claues, apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus: &
» quod ibi dixit Io. An. quòd non ſoli Petro
» claues conceſsit, ſed & cæteris apoſtolis: non interpretandum datas eccleſiæ, quòd ſcilicet fideles omnes à Chriſto ſuſceperint, cum teſte Ambroſ. lib. de pœnit. & Magiſtro ſent. in IIII. diſt. XIX. ius hoc ſoluendi & ligandi ſolis ſacerdotibus competat: ſed cenſeri datas eccleſiæ, quia datæ potioribus membris eccleſiæ, ut inquit Hier. in epiſcopis, presbyteris, & clericis. quoniam, ut eſt etiam Philoſophi ſententia ethic. IX. id communitas facere cenſetur, quod faciunt principes
7 aut optimates, & qui reip. præſunt. Vocantur etiam eccleſiæ claues, quia poteſtas, quæ in uno perpetua eſſe non poteſt, in pluribus per ſucceſsionem dici conſueuit communitatis poteſtas, etſi non omnibus de communitate tribuatur. quod in ſimili dicimus de priuilegio perpetuo dato uniuerſitati. Dici etiam poſſunt eccleſiæ claues, quoniam datæ à Chriſto ad bonum, & commodum eccleſiæ, Petro & eius ſucceſſoribus: quemadmodum ſacramenta, dicuntur eccleſiæ ſacramenta, quòd ad eius utilitatem ſint inſtituta: licet eorum collatio nec ſingulis, nec uniuerſis, ſed miniſtris eccleſiæ tributa ſit. Vel quia præcipue conceſſæ Petro eccleſiæ capiti, aliis

uero mediante Petro, iuxta illud Leonis,
» Ita dominus huius muneris fundamentum
» ad omnium apoſtolorum officium pertine-
» re uoluit, ut in beatiſsimo Petro, apoſtolo-
» rum omnium ſummo, principaliter collo-
» caret, & ab ipſo, quaſi à quodam capite, do-
» na ſua uelut in corpus omne diffunderet.
Et habetur in c. Ita dominus. XIX diſt. & in c. Fundamenta. de elect. lib. VI.

Similiter interpretandum eſt, quod dixit Hoſtienſ. in c. Noua. de pœniten. & remiſſ. duas eſſe claues, unam fori pœnitentialis, alteram contentioſi, & utraſque datas apoſtolis: datas quidem, ſed ordine ſuo, primum quidem Petro, aliis uero per Petrum.

8 Inanis autem eſt quæſtio, à quo Papa claues acceperit, uel cui moriens relinquat: quoniam cum Papa eligitur, neque ſecum claues affert, neque ab eccleſia accipit, ſed à Chriſto, non noua traditione, ſed antiqua, ea ſcilicet, quam dedit Petro. Eccleſia enim electione perſonam deſignat, quæ ſuccedat Petro: Chriſtus autem in beato Petro, cuilibet ſucceſſori claues tradidit. Quod exemplo declaramus. Princeps peregre profecturus, uices ſuas alteri committit: his uero, qui à concilio ſunt, poteſtatem tribuit, ut illo decedente, uel male adminiſtrante, ſucceſſorem, qui uices ſuas gerat, deligant. Conſtat enim,

hunc ſucceſſorem non ab eligentibus, ſed ab ipſo principe poteſtatem ſuſcipere, & illa au ctoritate, quam abiens conſiliariis ſuis reliquit: nec prioris obitu euanuiſſe iuriſdictionem; etſi ante electionem deeſſet, qui eam exerceret.

9 Si præter ea, quæ diximus, alia deſideramus teſtimonia, legamus Auguſt. in ſermo-
» ne de Petro & Paulo, cuius initium eſt, Ec-
» ce fortis, & humilis; cum inquit: O' mira
» potentia, & inæſtimabilis gratia ſaluatoris.
» Quis plebeium piſcatorem facile crederet
» principem, regibus obſiſtere, reges ſancti-
» ficare, regnis omnibus imperare, mundum
» frenare legibus, dæmones calcare ſub pedi-
» bus, iubere uirtutibus, cœlum hominibus a-
» perire, cum uellet, claudere, cum placeret:
» immortale regnum conuerſis donare, nega
» re peruerſis: merita mundi cognoſcere: cul-
» pas & crimina hominibus relaxare? ò inæ-
» ſtimabilis; ò immenſa poteſtas, hominem
» in terra poſitum, tenere cœlum. Ecce ad nu-
» tum Petri, diuini uerbi clauſtra pateſcunt.
» Accepit enim claues regni cœlorum à Chri-
» ſto, ut ſolutis uinculis delictorum, aperiret
» credentibus cœlum.

His ſubſcribit Beda Omel. ſuper illud Mat thæi XVI. Quodcunque ligaueris &c. cum
» inquit: Qui enim regem cœlorum maiori

» dilectione præ cæteris confessus, merito præ
» cæteris collatis regni cœlestis clauibus dona-
» tus est. Sed non frustra uni conceduntur,
» quod omnibus intimatur. Petra enim sin-
» gulariter creditur, qua cunctis ecclesiæ re-
» ctoribus Petri forma præponitur.

» Pro coronide addamus Bernard. ad Eu-
» genium libro secundo, de consideratione,
» cum dixit: Age indagemus diligentius,
» quis sis, quam geras pro tempore personam
» in ecclesia dei: qui es sacerdos magnus, sum-
» mus Pontifex: tu princeps episcoporum,
» tu hæres apostolorum. Tu primatu, Abel:
» gubernatu, Noe: patriarchatu, Abraham:
» ordine, Melchisedech: dignitate, Aaron:
» auctoritate, Moyses: iudicatu, Samuel: po
» testate, Petrus: unctione, Christus. Tu
» es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt.
» Sunt quidem & alii cœli ianitores, & gre-
» gum pastores: sed tu tanto gloriosius, quan
» to & differentius utrunque præ cæteris no-
» men hæreditasti. Habent illi sibi assignatos
» greges, singuli singulos: tibi uniuersi cre-
» diti, uni unus: nec modo ouium, sed etiam
» pastorum tu unus omnium pastor.

Petram esse ecclesiæ fundamentum. Cap. X.

TRANSEAMVS nunc ad aliam Petri prærogatiuam, qua eum fundamentum ecclesiæ appellamus.

1 Quamuis enim uerum, & principale ecclesiæ fundamentum, sit ipse Christus Iesus, iuxta illud Pauli Corint. III. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: & alibi, Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus: & Petrus ipse cap. II. suæ primæ epistolæ, appellet Christum lapidem summum, & angularem; docens, ut supraædificemus in domum spiritualem: Petrus tamen pro eximia sua fide, & ardenti charitate, etiam petra dicitur: recteq; consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis teste Ambrosio, sermone XLIIII. quòd etsi cæteri apostoli fundamenta etiam nuncupentur ecclesiæ, iuxta illud Eph. II. Superædificati supra fundamentum apostolorum: & Apocal. XXI. Murus ciuitatis, habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina apostolorum: Petrus tamen solidioris, & principalioris fundamenti denominationem sortitus est: cum ei soli, non aliis dictum fuit, Tu es Petrus &c.

2 Quatenus autem ponamus aliud fundamentum, quàm Christum Iesum, quod uidetur contra apostolum, legamus August.
» super psalmo LXVI, cum dicit: Vt no-
» ueritis, quòd Christus sit primum & maxi-
» mum, Fundamentum, inquit apostolus,
» nemo potest ponere, præter id quod posi-
» tum est, quod est Christus Iesus. quo ulte-
» rius nihil est. Quomodo putamus, nisi quem
» admodum aperte dicitur sanctus sanctorum,
» sic figurate fundamentum fundamentorum?
» Si ergo sacramenta cogites, Christus sanctus
» sanctorum: si gregem subditum cogites,
» Christus pastor pastorum: si fabricam cogi-
» tes, Christus fundamentum fundamentorũ.

Comprobantur hæc quàm plurimis testimoniis. Origenes enim in Matth. de cano-
» ne noui testamenti differens, inquit: Petrus
» uero, super quem Christus fundauit eccle-
» siam, duas tantummodo epistolas scribit. &
» in cap. VI. epistolæ ad Rom. Petro, in-
» quit, cum summa de pascendis ouibus, &
» super ipsum, tanquam super petram, funda-
» retur ecclesia, nullius confessio uirtutis alte-
» rius, nisi charitatis exigitur. Idem Omel. v.
» in Exod. inquit: Magno illi ecclesiæ funda-
» mento, petræq; solidissimæ: super quam
» Christus fundauit ecclesiam.

Idem Cyprianus lib. de simpl. prælat.

« Tract. III. cum dixit: Manifeſtum eſt, ubi,
» & per quos remiſsio peccatorum dari poſsit.
» Nam dominus primum Petro, ſuper quem
» ædificauit eccleſiam ſuam, & unitatis origi-
» nem inſtituit, & oſtendit; poteſtatem iſtam
» dedit. Et infra: Chriſtus eccleſiam ſuam,
» quæ una eſt, fundauit ſuper unum. Et in e-
» piſtola ad Quintium: Quem primum do-
» minus elegit; & ſuper quem ædificauit eccle
» ſiam ſuam. Cum Paulus de circuncisione
» poſtea diſceptaret, ſe uindicauit. Et ad Cor
» nelium: Petrus, ſuper quem ædificata ab
» eodem domino eccleſia fuerat, unus pro om
» nibus loquens, & eccleſiæ uoce reſpondens,
» ait: Ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ ha
» bes. Baſilius etiam aduerſus Eunomium,
de quibuſdam ſignis Petrum exprimentibus
» loquens, inquit: Vocem intelligimus Ionæ
» filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fra-
» trem: qui ex piſcatore in apoſtolatus miniſte
» rium uocatus eſt: qui quoniam fide præſta-
bat, eccleſiæ in ſe ædificationem ſuſcepit.
» Item Hilarius in Matth. dicta Chriſti uer
» ba explicat in hunc modum: Editis itaque,
» quæ diuerſæ de eo erant, hominum opinio-
» nibus; quid ipſi de ſe ſentiant, quærit. Pe-
» trus reſpondet: Tu es Chriſtus, filius dei ui
» ui. Et dignum quidem confeſsio Petri conſe
» cuta eſt præmium. quia dei filium uidiſſet in

» homine, beatus hic eſt; & ultra humanum
» modum oculos intendiſſe, & uidiſſe lauda-
» tus eſt: non id, quod ex carne & ſanguine
» eſt, contuens, ſed dei filium cœleſtis patris re
» uelatione conſpiciens: dignusq; iudicatus,
» qui, quod in Chriſto dei eſſet, primus cogno
» ſceret. O' in nuncupatione noui hominis,
» felix eccleſiæ fundamentum: digna ædifica-
» tione illius petra; quæ inferni leges, & tar-
» tari portas, & omnia mortis clauſtra diſſol-
» ueret. O' beatus cœli ianitor; cuius arbitrio
» claues regni æterni aditus traduntur: cuius
» terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas fit
» in cœlo. & quæ in terris ligata ſunt, aut ſolu-
» ta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant &
» in cœlo.

Quid Ambroſius? nonne in natali Petri
» & Pauli, inquit? Diximus frequenter ipſum
» Petrum à Domino petram nuncupatum, ſi-
» cut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram
» ædificabo eccleſiam meam. & ſermone
» XLVII. de Petri fide diſſerens, inquit: Pe
» trus denique pro ſoliditate deuotionis. eccle-
» ſiarum petra dicitur: ſicut ait dominus: Tu
» es Petrus &c. Petra enim dicitur, quòd pri-
» mum in nationibus fidei fundamentum po-
» ſuerat: & tanquam ſaxum immobile, totius
» operis Chriſtiani compagem, molemq; con
» tineat. Idem in lib. de uocat. omnium gent.

» inquit: Quis ignorat hanc firmiſsimam pe
» tram, quæ ab illa principali petra commu-
» nionem & uirtutis ſumpſit, & nominis, hoc
» deſiderium ſemper habuiſſe, ut ſibi morien-
» di pro Chriſto daretur conſtantia? & lib. I.
» Omel. & habetur in c. Fidelior. L. diſt. Fi-
» delior factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe
» perdidiſſe defleuit: atque ideo maiorem gra-
» tiam reperit, quàm amiſit. Tanquam enim
» bonus paſtor, tuendum gregem accepit: ut
» qui ſibi ante infirmus fuit, fieret omnibus fir
» mamentum: & qui in ſe interrogationis ten-
» tatione nutauerat, cæteros ueræ fidei ſtabili-
» tate fundaret.

» Idem atteſtatur Hieronymus in Mat-
» th. qui dicta Chriſti uerba exponens, in-
» quit: Dico tibi, quid eſt, quod ait, Et ego
» dico tibi, quia tu dixiſti, Tu es Chriſtus fi-
» lius dei uiui: & ego dico tibi, non ſermone
» caſſo, nec ullo opus habente: ſed dico tibi,
» quia meum dixiſſe, feciſſe eſt; quia tu es Pe-
» trus &c. Sicut ipſe lumen apoſtolis dona-
» uit. ut mundi lumen appellarentur, cæte-
» raq; ex domino ſortiti ſunt nomina: ita &
» Simoni, qui credebat in Chriſtum, largitus
» eſt nomen, ac ſecundum metaphoram pe-
» træ, recte dicitur ei, ſuper te ædificabo ec-
» cleſiam meam. Et contra Iouinian. qui ex

eo detrahebat uirginitati, quòd non super Ioannem fundata erat ecclesia; admittit super Petrum fundatam ecclesiam, addens ratio-
» nem, Super Petrum, dicens, fundatur ec-
» clesia; licet id ipsum in alio loco super apo-
» stolos fiat: ut cuncti claues regni cœlorum
» accipiant; & ex æquo fortitudo ecclesiæ soli-
» detur: tamen propterea inter duodecim unus
» eligitur, ut capite constituto, schismatis tol-
» latur occasio.

In eandem sententiam scripsit August. in
» sermone de cathedra Petri, his uerbis: Insti-
» tutio solennitatis hodiernæ, à senioribus no
» stris cathedræ nomen accepit, ideo quòd pri
» mus apostolorum Petrus, hodie episcopa-
» tus cathedram suscepisse referatur. Recte igi-
» tur natalem sedis illius colunt, quam aposto
» lus pro ecclesiarum salute recepit, dicente do
» mino, Tu es Petrus. Petrum itaque ecclesiæ
» fundamentum nominauit. Et ideo digne
» hoc fundamentum ecclesia colit: super quod
» ecclesiastici ædificii altitudo consurgit. Vn-
» de conuenienter psalmus, qui lectus est, di-
» cit: Exaltent eum in ecclesia plebis, & in ca-
» thedra seniorum laudent eum. Bene ergo de-
» us eum in ecclesia exaltari præcepit: quia di-
» gnum est, ut fundamentum hoc in ecclesia
» honoretur, propter quod in cœlum ascen-
» ditur.

Accedat Cyrillus lib. II. in Io. qui affirmat, Christum in noui nominis, Petri scilicet, impositione, significasse quòd in hoc, tanquam in petra, lapideq; firmissimo, suam esset ædificaturus ecclesiam: idem confirmans lib. XII. Thesaurorum: & lib. de spiritu sancto: & alibi sæpius.

Subsequatur Chrisostomus in Omel. de diuite & paupere: qui Petrum uocat principem apostolorum; super quem Christus fundauerit ecclesiam suam, uere immobilem petram, utq; pro hamo piscatorio, acciperet claues regni cœlorum.

Nec omittamus Maximum, in sermone apostolorum Petri & Pauli; qui dixit:
» Hic est Petrus, cui Christus dominus com-
» munionem nominis libenter indulsit. Vt
» enim (sicut apostolus Paulus edocuit) pe-
» tra autem erat Christus: ita per Christum pe
» trus factus est petra, dicente domino: Tu es
» Petrus, & super hanc petram ædificabo ec-
» clesiam meam. Nam sicut in deserto iussu
» dominico sitienti populo aqua fluxit ê petra;
» ita uniuerso mundo perfidiæ ariditate laxan-
» ti, de ore Petri fons salutiferæ confessionis
» emersit.

Item Leo III. sermone de passione do-
» minica, inquit, Vnus de toto mundo eligi-
» tur Petrus; qui & uniuersarum gentium uo

» cationi, & omnibus apoſtolis, cunctisq; ec-
» cleſiæ patribus præponatur: ut quamuis in
» populo dei multi ſacerdotes ſint, multiq; pa
» ſtores: omnes tamen regat Petrus, quos prin
» cipaliter regit & Chriſtus. Magnum & mi-
» rabile huic uiro, dilectiſsimi, conſortium po
» tentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio; ut ſiquid
» commune cæteris tribuit eſſe principibus,
» nuſquam niſi per iſtum dedit, quicquid cæ-
» teris non negauit. Omnes denique apoſto-
» los, quid de ſe opinentur homines, interro-
» gat: & tandiu reſpondentium communis
» eſt ſermo, quandiu humanæ intelligentiæ
» explicatur ambiguitas. At ubi, quid ſenſus
» habebat diſcipulorum, exigitur, primus eſt
» in domini confeſsione, qui eſt primus in apo
» ſtolica dignitate & poteſtate: qui cum dixiſ-
» ſet, Tu es Chriſtus filius dei uiui; reſpon-
» dit ei Ieſus: Beatus es, Simon Bar iona: quia
» caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater
» meus, qui in cœlis eſt. ideo beatus es, quia
» pater meus te docuit: nec terrena te fefellit
» opinio, ſed inſpiratio te cœleſtis inſtruxit:
» & non caro & ſanguis, ſed ille tibi, cui ſum
» filius unigenitus, indicauit. & inquit: Ego
» dico tibi, hoc eſt, ſicut pater intus manife-
» ſtauit tibi diuinitatem meam: ita & ego no-
» tam tibi facio excellentiam tuam; quia tu es
» Petrus, ideſt, cum ego ſum inuiolabilis pe-

tra,

» tra, ego lapis angularis, qui facio utraque u-
» num: ego fundamentum, præter quod ne-
» mo potest aliud ponere: tamen & tu quo-
» que petra es, quia mea uirtute solidaris; ut,
» quæ mihi potestate sunt propria, tibi sint par
» ticipatione communia. Et super hanc petram
» ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi
» non præualebunt aduersus eam. Et super
» hoc, inquit, saxum, hanc soliditatem & for-
» titudinem, æternum constituam templum;
» & ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas,
» in huius firmitate consurget. Quod idem
» paucis immutatis uerbis repetit in Omel.
» quæ sabbato post dominicam quadragesimæ
» legitur.

His subscribit Gregor. lib. IIII. epistola
» XXXII. ad Mauritium, his uerbis: Cun-
» ctis euangelium scientibus liquet, quòd uo-
» ce dominica sancto, & omnium apostolo-
» rum principi, Petro apostolo, totius eccle-
» siæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur:
» Petre, amas me? pasce oues meas. ipsi dici-
» tur: Ecce Sathanas expetiit cribrare uos, si-
» cut triticum. &, ego rogaui pro te, Petre,
» ut non deficiat fides tua: & tu aliquando con
» uersus, confirma fratres tuos. ipsi dicitur: Tu
» es Petrus, & super hanc petram &c. Et in-
» fra: Ecce claues regni cœlestis accepit: po-
» testas ei ligandi atque soluendi tribuitur: cu-

» ra ei totius ecclesiæ, & principatus com-
» mittitur.

Quòd etsi August. uarie interpretatus sit locum illum, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. quandoque petram Petrum, quandoque Petri fidem, & quandoque ipsum Christum; quem dixerat filium dei uiui: in retractationibus tamen, postquam meminit libri à se scripti aduersus Nouatum,
» adiecit hæc uerba: In hoc libro dixi in quo-
» dam loco de apostolo Petro, quòd in eo,
» tanquam in petra, fundata sit ecclesia: qui
» sensus etiam cantatur in ore multorum, in
» uersibus beati Ambrosii, in matutinis laudi-
» bus, in quibus de galli cantu loquens, hoc
» inquit: petra ecclesia canente culpam diluit.
» Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse,
» quod à domino dictum est, Tu es Petrus, &
» super hanc petram ædificabo ecclesiam me-
» am; ut super hanc intelligeretur, quam con-
» fessus est Petrus dicens: Tu es Christus fi-
» lius dei uiui: ac si Petrus ab hac petra appel-
» latus, personam ecclesiæ figuraret, quæ su-
» per petram ædificatur: & accepit claues re-
» gni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu
» es petra; sed, Tu es Petrus. petra autem
» erat Christus; quam confessus Simon, sicut
» eum tota ecclesia profitetur, dictus est Pe-
» trus. Harum autem sententiarum, quæ sit

probabilior, eligat lector. Hæc Auguſtin. Ex quibus uerbis colligitur, minime errare, qui per petram, Petrum ipſum interpretati ſunt.

Et quòd petra illa figura Chriſti non fuerit, perſuaderi poſſet ex eo, quòd Chriſti perſonæ minime conuenit, quòd ſuper eam eſſet ædificaturus, cum iam ædificaret, ſicut & ſuper eccleſiæ fidem. Item impertinenter præmiſiſſet dominus, Tu es Petrus; niſi quod ſubſequitur, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ad Petrum referatur. quod tamen ſubiecit dominus, quaſi uices referens eius, quod dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius dei uiui.

Sed dicet aliquis: Si Petrus fundamentum eſt eccleſiæ; nuſquam igitur erat eccleſia ante Petrum; cum ante fundamentum non ſit ædificium. ſed ſi hoc recte colligeretur, nec Chriſtus Ieſus, ut deus & homo, eccleſiæ foret fundamentum; quæ à iuſto Abel initium habuit, & ante Chriſtum fuit. Reſpondemus tamen quòd Petrus propter fidei ſoliditatem, & illius confeſsionem, fundamentum eſt eccleſiæ explicite credentium in Chriſtum: quæ ut habens hanc qualitatem, non fuit ante Petrum: nec ante Chriſtum: licet eadem ſit eccleſia, continua ſucceſsione, quæ cœpit ab Abel, & forte ab

Adam. quod ſub aliis uerbis dicunt nonnulli, quòd eſt fundamentum eccleſiæ, ideſt, eccleſiaſticæ poteſtatis & iuriſdictionis, quæ ab eo habuit exordium.

Petrus immediate poteſtatem accepit à Chriſto. Cap. XI.

E X præmiſsis colligitur, Petrum poteſtatem, & auctoritatem immediate à Chriſto recepiſſe; alios uero mediante Petro: non quòd à Petro alii apoſtoli in epiſcopos ordinati fuerint; ſed quòd ipſe principaliter, ut eorum paſtor & rector, cæteri uero apoſtoli, ut dignitate proximi, fuerint ordinati. Nec placet illorum ſententia, qui cenſuerunt Petrum à domino epiſcopum conſecratum, alios apoſtolos ab ipſo Petro. ſed magis credimus, quòd ſicut à domino ſimul facti fuerunt ſacerdotes, ſiue cum eis dictum fuit: Hoc facite in meam commemorationem, Lucæ XXII. ſiue cum dictum fuit: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata &c. Io. XX. ſic & ſimul facti fuerunt epiſcopi; ſecuti Auguſtinum lib. Quæſtionum no. & uet. teſtamenti; qui dixit, Chriſtum omnes apoſtolos ordinaſſe epiſcopos. Interpretari autem epiſcopos. i. ſacerdotes, ut plerique interpretantur, eſt Auguſtinum de inſcitia redarguere,

quaſi ignorauerit differentiam eſſe inter epiſcopum, & ſacerdotem: etſi Paulus quandoque unum pro altero, & pro utroque nominauerit; prout utrique id, de quo loquebatur, conueniebat. quod ſecus eſt de uerbis Auguſtini. nec ſolum in hanc ſententiam
2 nos adducit Auguſtini auctoritas: ſed etiam ratio. quoniam Paulus, qui epiſcopus fuit, (nec enim Timotheum epiſcopum ordinaſſet, ſi ipſe epiſcopus non fuiſſet) nequaquam à Petro factus fuit epiſcopus, ipſomet profitente ad Gal. I I. ſe nihil à Petro accepiſſe. Quòd ſi Paulus à Petro non fuit ordinatus, multo minus alii, qui Chriſtum in terris cum hominibus conuerſantem ſequebantur. Accedit quòd Paulus ad Eph. IIII. atteſtatur, dominum dediſſe nobis quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uero euangeliſtas, alios autem paſtores. qui autem ſunt paſtores, niſi epiſcopi? Ipſi igitur à domino, non à Petro conſtituti epiſcopi. His aſtipulatur Dionyſ. de eccleſiaſt. hierar. cum » inquit, quòd Chriſtus ſacerdotalem con» ſummationem, ducens diſcipulos in ſanctiſ» ſimum patrem ſuum, retulit hierarchiæ per» fectionem. Quid autem eſt iſta perfectio, niſi epiſcopalis ordo, qui in eccleſia ſupremus eſt? Igitur Chriſtus ipſe epiſcopos conſtituit & ordinauit. Eidem ſententiæ ſubſcri-

bere uidetur canonum aggregator c. I. dist. XXI. cum dixit, quòd Christus XII apostolos, tanquam maiores sacerdotes constituit. Maiores autem sacerdotes sunt episcopi.

Nec his repugnat quod dixit Anacletus, & habetur in c. In nouo. ead. dist. XXI. quòd in nouo testamento, post Christum dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quòd ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est. quoniam his non repugnat, quòd cæteri apostoli in episcopos à Christo ordinati sint; licet ipse Petrus dignitate anterior, & primus fuerit. Quod designant quæ paulo post sequuntur uerba, quòd cæteri apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt: pari scilicet, quoad ordinem, & dignitatem episcopalem: impari uero, quoad iurisdictionem, & ecclesiæ gubernationem. Nec ex eo, quòd soli Petro plene & immediate commissa est pastoralis cura totius dominici gregis; subsequitur: ergo ipse solus ordinatus est episcopus à domino; alii uero à Petro.

3 Quod uero dixit idem Anacle. & habetur in c. Porro. LXVI. dist. quòd beatus Iacobus, qui Iustus dicebatur, etiam secundum carnem frater domini nuncupatus, à Petro, Iacobo, & Ioanne apostolis fuit ordinatus; interpretandum est de uisibili un-

ctione, & exteriori ceremonia ordinationis; cuius tunc forma data fuit ab apostolis: licet prius fuerit interiori unctione à domino consecratus: uel quòd tunc fuerit ordinatus episcopus Hierosolymorum, & eam haberet dioecesim; cui præesset episcopus: uel tunc data forma ordinationis, quòd scilicet non nisi à tribus episcopis fieret. nec propterea Iacobus bis in episcopum ordinatus fuit: quoniam non eadem unctione inunctus fuit.

4 Si quis uero obiiceret, Petrum non immediate à domino, sed ab apostolis ipsis accepisse suæ potestatis prærogatiuam, ex eiusdem Anacleti uerbis, de quibus in d. c. In nouo. quòd ipsi apostoli Petrum principem eorum esse uoluerunt; quasi eorum, institutione, & non diuina, primatum sit consecutus. respondetur; intelligendum est, apostolos uoluisse, Petrum eorum principem esse, idest, eis placuisse, quòd eorum princeps à domino fuerit constitutus: quam nonnulli uocant uoluntatem consecutiuam. & quòd taliter interpretandum sit, declarant eiusdem Anacleti uerba; quæ recitantur in c. Sacrosancta. XXII. dist. cum inquit:
» Inter beatos apostolos quædam fuit discre-
» tio potestatis: & licet omnes essent apostoli;
» Petro tamen à domino concessum est, &
» ipsi inter se uoluerunt idipsum; ut reliquis

omnibus præeſſet apoſtolis. Quòd itaque Petrus aliis præeſſet, ideo fuit, quia à domino conceſſum fuit: & ipſi inter ſe uoluerunt, quia à domino conceſſum fuerat: non autem ideo præfuit, quòd ipſi idipſum uoluerint: nec à deo conceſſum quòd præeſſet, quòd ipſi præeſſe uoluerunt.

Eodem modo interpretandum eſt, quod dixit Iulius, & habetur in c. Dudum. III. q. VI. quòd apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſanctam Rom. eccleſiam primatum omnium eccleſiarum eſſe uoluerunt.

5 Et ſi quandoque legatur concilia dediſſe Rom. Pontifici poteſtatem in eccleſia dei, interpretandum eſt non cumulatiue, ſedpriuatiue ad alios: quia multa ſubtraxerunt ab epiſcopis, & miniſtris eccleſiæ, & uoluerunt ad ſolum Papam pertinere .c. Dudum. III. q. VI. & c. Quamuis. ead. cau. &.q. Olim enim poterat prouinciale concilium ex cauſa deponere epiſcopum. c. Siquis. c. Si autem. XV. q. VIII. ſed poſtea per concilia decretum, quòd licet apud prouinciales epiſcopos poſsint examinari cauſæ epiſcoporum, diffiniri autem nequaquam abſque Rom. Pontificis auctoritate, ut in c. Quamuis III. q. VI.

Dissolutio eorum, quæ obijciuntur primatui Petri. Cap. XII.

SVPEREST pro uberiori declaratione potestatis, & præeminentiæ Petri in ecclesia, ut diluamus plura, quæ illi obiiciuntur: etsi multa hucusque sublata fuerint.

1 Primo obiicitur, ex illo loco, Io. ultimo, Pasce oues meas; non probari Petri præ aliis apostolis prærogatiuam: cum idem aliis apostolis demandatum uideatur. quoniam trifariam censetur quis Christi oues pascere, doctrina salutari, exemplari uita, & disciplina seu correctione: & hæc omnia demandata uideantur omnibus apostolis, non soli Petro: quibus etiam omnibus à domino dictum fuit, Mat. v. Vos estis lux mundi: sic luceat lux uestra coram hominibus. & cap. ultimo: Euntes docete omnes gentes. Item Io. ultimo: Quorum remiseritis &c. His respondemus, quòd etsi hæc omnia demandata fuerint etiam cæteris apostolis, ordine tamen quodam commissa, principalius scilicet & plenius Petro, aliis uero minus, quòd Petro minores essent, uelut oues sub pastore. Nec consequitur: hæc omnia omnibus demandata sunt: ergo æquali mensura: ergo omnes pari funguntur potestate.

Secundo obiiciunt, quòd siquis maior inter apostolos censendus foret, is fuisset Iacobus Alphæi, episcopus Hierosolymorum: ubi Christus Pontifex fuit; & suo sanguine, pro humani generis redemptione, ecclesiæ
2 illius fundamenta iecit. Sed respondetur, Iacobum successorem fuisse Iesu Christi in regimine ecclesiæ Hierosolymitanæ, Petrum autem in regimine uniuersalis ecclesiæ; qui & Hierosolymis sua usus est auctoritate, ut in Matthiæ electione, cum dixit: Oportet ex his uiris, qui nobiscum sunt congregati &c. cum, loquentibus apostolis uariis linguis, qui ut ebrii irriderentur, Petrus eleuans uocem suam, ex Iohelis testimonio ostendit eos non ebrios, sed spiritu sancto repletos. cum Ananiam & Saphyram mentientes spiritui sancto, damnauit. cum Simonem magum reprehendit, & sententiam condemnationis protulit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia donum Dei existimasti pecunia posſideri. cum super obseruatione legalium, in concilio Hierosolymitano exorsus est sermonem. & aliàs sæpius. Quod autem Petrus, non Iacobus, nec alius quispiam successerit Christo in regimine uniuersalis ecclesiæ, declaratum est supra.

3 Cur autem Christus Iesus, qui Hierosolymis salutem humani generis operari digna-

tus eſt: Hieroſolymis legem docuit: Hieroſolymis primum de crucis myſterio prædicatum; & ubi primum apoſtoli ſanctiſsimam congregarint eccleſiam: noluerit in ea primã Petri ſedem ſtatuere: forte ratio eſt, quia euertenda funditus erat, nec relinquendus in ea lapis ſuper lapidem: uel ut confunderet Iudæorum peruicaciam, expectantium Meſſiam regnaturum in Hieruſalem; in quo forſan errore uidentur fuiſſe apoſtoli poſt reſurrectionem: quod indicat matris filiorum Zebedæi poſtulatio, ut ſederent in regno ſuo, unus à dextris, alter uero à ſiniſtris: diſcipulorum in Emaus euntium cum Ieſu ſermo: & interrogatio illa apoſtolorum omnium, cum dominus aſcenſurus eſſet in cœlum, num in tempore illo eſſet reſtituturus regnum Iſrael.

4 Quod autem Socrates lib. IX. cap. XIIII. Trip. hiſt. uocet Hieroſolymitan. eccleſiam, matrem omnium eccleſiarum: & Clemens in ſuis epiſtolis appellet Iacobum fratrem domini, epiſcopum epiſcoporum: fortaſſe ob myſterium paſsionis, & quòd Iacobus frater domini fuerit: apoſtolorum tamen ordinatione, non ſolum inter principales ſedes locum non habuit: ſed ſubiecta fuit Metropolitano Paleſtin. quod indicat decretum Niceni concilii, quo decernitur,

» epiſcopo Hieroſolymorum antiquitus tradi-
» ta honoris prærogatiua ſeruaretur, manen-
te nihilominus & Metropolitani ipſius pro-
uinciæ dignitate. Cur autem diuina diſpen-
ſatione Petrus & Paulus non in Hieruſalem,
ſed in urbe Roma martyrium pertulerint;
» cauſam dixit ſanctus Ambroſius eſſe, ut ubi
» erat caput ſuperſtitionis, illic caput quieſce-
» ret ſanctitatis: & ubi gentilium principes ha-
» bitabant, illic eccleſiarum principes more-
» rentur. & habetur in c. Beati. II. q. VII.

Tertio impugnatur Petri auctoritas, ex
loco Pauli, Gal. II. cum dixit, quòd hi qui
» uidebantur eſſe aliquid, nihil ſibi contule-
» runt. quòd ſibi creditum fuit euangelium
» præputii, ſicut & Petro circuncisionis: quòd
» Iacobus, Cephas, & Ioannes dexteras de-
» derunt ſibi & Barnabæ ſocietatis: quòd,
» cum ueniſſet Petrus Antiochiam, reſtitit ei,
» quia reprehenſibilis erat. quæ omnia ar-
guunt Petrum non fuiſſe Paulo maiorem,
5 immo uero in aliquibus inferiorem. Sed re-
ſpondemus, ex eo, quòd Petrus & alii nihil
Paulo contulerint; quodq; dexteras iunxe-
rint ſocietatis; inferri paritatem in unitate fi-
dei, & illius defenſione; de qua etiam Mat.
» XXIII. cum dicitur, Vos omnes fratres
eſtis: quæ non excludit Petri in alios iuriſdi-
ctionem, & auctoritatem. Dicitur autem Pe

trum, & alios nihil Paulo contulisse in do-
ctrina fidei, quia ipse cœlitus edoctus, nihil
ab eis discrepabat, qui ab ipso domino, dum
in terris conuersabatur, doctrinam hauserant:
& in ea re, ut pares, dexteras iunxisse socie-
6 tatis. Reprehensio autem facta à Paulo ipsi
Petro, quia reprehensibilis erat; officium
fuit charitatis: quo etiam minor reprehende
re potest maiorem: ut de fraterna monitione
aliàs dicendum erit.

At quòd Paulus ad Petrum uenerit, si-
gnum fuit reuerentiæ, & uenerationis, ut re
cte annotauit Hieronymus in epistola ad
» Aug. XXII. his uerbis: Denique tantæ au
ctoritatis Petrus fuit, ut Paulus in epistola
» sua scribat: Deinde post tres annos ueni Hie
» rosolymam uidere Petrum: & mansi apud
eum diebus XV. rursusq; in sequentibus:
» Post annos XIIII. ascendi iterum Hieroso
lymam, assumpto etiam Tito. ascendi autem
» secundum reuelationem, & exposui eis euan
» gelium, quod prædicaui inter gentes; osten
dens non habuisse securitatem euangelii præ-
» dicandi, nisi Petri, & eorum qui cum Petro
7 erant, fuisset sententia roboratum. Hęc Hie
ronymus. At quòd Paulus uocauerit Pe-
trum apostolum circuncisionis, se uero gen-
tium; non arguit eorum parem auctorita-
tem, diuisumq; inter se onus prædicandi

euangelium: quoniam uterque & gentibus & iudæis euangelium prædicauit, Petrus enim (ut habetur Act. x.) prædicauit euangelium Cornelio gentili, & domui eius: quod etiam perspicuum est ex his, quæ de
» Petro habentur Act. xv. cum dixit: Vos scitis, quòd ab antiquis diebus Deus in no-
» bis elegit per os meum audire gentes uerbum euangelii, & credere. & de Paulo Act. ix.
» habetur: Quoniam uas electionis est mihi,
» ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. & infra, Et conti-
» nuo ingressus synagogas, prædicabat Iesum, quoniam hic est filius dei. Vterque igitur & Iudæis, & gentibus prædicauit euangelium. Sed ex eo Paulus uocauit Petrum apostolum circuncisionis, se uero gentium: quoniam Petrus acceptior fuit Iudæis: quibus oportebat primum loqui uerbum dei. at ipse Paulus licet prius euangelizauerit uerbum dei Iudæis: eis tamen minus fuit acceptus. propterea cum sibi, & Barnabæ indiuiduo comiti ubique contradiceretur, dixit:
» Vobis oportebat loqui uerbum Dei: sed
» quoniam repulistis illud, & indignos uos iu
» dicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. hinc etiam non inscripsit nomen suum epistolæ, quam ad Hebræos scripsit.

De reprehensione tamen Pauli, quòd re-

ſtiterit Petro, quia reprehenſibilis erat; nonnulli euadere conantur, auctore Clemente Alexandrin. Origenis præceptore, non fuiſſe illum Petrum, apoſtolorum principem, ſed ex L X X diſcipulis quempiam alium, nomine Petrum: cuius meminit Euſebius lib. primo Eccleſiaſt. hiſt. cap. X I I I I.

8 Hieronymus autem aduerſus Aug. non dubitauit aſſerere, ſimulatam fuiſſe illam reprehenſionem Pauli, quòd ſcilicet ſicut Petrus, cæteriq; apoſtoli, atque etiam ipſe Paulus ob ſcandalum Iudæorum ſimulate ſeruauerunt legalia: ita eadem ſimulatione, quæ fuerat neceſſaria ad ſeruandos Iudæos à ſcandalo; ne ſcandalizarentur gentes, ei gentium ſcandalo occurrerit Paulus ſimulata reprehenſione. Quod autem etiam Paulus ſimulauerit ſeruare legalia, habetur Act. X V.
» cum dicitur: Paulus peruenit in Derben &
» Lyſtram: & ecce diſcipulus quidam, nomi-
» ne Timotheus, filius mulieris uiduæ fidelis,
» patre gentili; cui teſtimonium perhibebant
» qui in Lyſtris erant, & Ionio fratres: hunc
» uoluit Paulus proficiſci ſecum, & aſſumens
» circuncidit eum propter Iudæos, qui erant
» in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pa
» ter eius erat gentilis. Eodem modo totondit
ſibi caput in Cenchreis, tanquam perſoluens uotum. Et Act. X X. cum aſſumptis illis

quatuor uiris, de quibus murmurabant Iudæi, purificatus cum illis intrauit in templum, nuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque illorum oblatio. Hieronymi sententiam secuti sunt Chrisostomus, & Theophilactus. Nobis tamen magis placet illorum sententia, qui censuerunt serio, non simulate Petrum a Paulo reprehensum: cum liceat, & deceat in iis, quæ ad fidem attinent, etiam ab inferioribus quemcunque reprehendi, & corripi. Hinc dixit Gregorius, & habetur in c. Paulus. II. q. VII. Paulus dicit, Seniorem ne increpaueris. Sed hæc regula reseruanda est in eo, cum culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Qua ratione dixit sanctus Tho. secunda secundæ. Paulus licet esset subditus Petri, propter imminens scandali periculum circa fidem Petrum publice arguit. & sicut glo. dicit ad Gal. II. Petrus exemplum maioribus tribuit, ut sicubi forte rectum reliquissent, non dedignarentur etiam à posterioribus corrigi.

Quarto obiiciunt: uerbum ædificari, uerbum est spiritus, significans per fidem incorporari, & crescere in Christo: quod incongrue transfertur ad potestatem regendæ ecclesiæ; quæ sine fide, & charitate in Papa malo

malo eſſe poteſt: quare auctoritatem illam, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifica bo eccleſiam meam; nihil facere ad Petri pri matum. & interpretari ædificare, ideſt, regere, eſt extorquere literam ad extraneum ſenſum. Sed nos negamus, ædificari eſſe incorporari per fidem, & creſcere in Chriſto: qu od iam ædificatus ſuper petram, incorpo ratur Chriſto per fidem, ſicut Hiere. cap. I. dicitur: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna; ut euellas, & deſtruas, diſperdas, & diſsipes, ædifices, & plantes. & cap. XVIII. Subito loquar de gente & regno, ut ædificem, & plantem. Nec dicimus, ædificare eſſe regere: nec in myſtico corpore pugnant, quæ in naturali ſunt repugnantia.

9 Quinto obiiciunt primatui Petri, de electio ne Matthiæ apoſtoli Act. I. in qua non opus fuiſſet aliorum auctoritate, & conſenſu, ſi Petrus caput fuiſſet, & princeps apoſtolorum. itidem de electione VII diaconorum: de qua dicitur Act. VI. quòd elegerunt Ste phanum, plenum fide & ſpiritu ſancto, & Philippum &c. quos ſtatuerunt ante conſpectum apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Ad quod reſpondetur, non recte colligi, Petrum non habuiſſe ſupremam in eccleſia auctoritatem, ex eo quòd in

electione Matthiæ, & diaconorum accesserit aliorum consensus. quoniam ea ratione id actum est, ut uitaretur contentio, ut aliis debitus honor daretur, utq; seruaret Petrus, quod dominus præceperat: Qui maior est uestrum, fiat sicut minister. Quæ solutio colligitur ex Chrisostomo, in eum locum
» Act. apostolorum cum dixit: Petrus ut in-
» flammatus, & sicut ille, cui à Christo com-
» missum erat ouile, & ut princeps apostolo-
» rum, semper primus incœpit sermonem. Vi
» de autem, quia Petrus omnia facit communi
» omnium uoluntate: nihil agit principaliter,
» aut dominatiue. & infra, Oportet ergo ex
» his, qui nobiscum sunt, uiris in omni tem-
» pore &c. Quare ita palam omnibus loqui-
» tur, ne contentiose res fierent, & ad litem
» deuenirent: & ideo scandala uitabat. qua-
» propter incipiens, dixit: Viri fratres, opor-
» tet ex uobis. multitudini populi electionem
» concedit, ut & ipse à contentione liberare-
» tur, & aliis honor exhiberetur. & infra:
» Quid ergo? eum eligere non poterat? uti-
» que poterat; sed, ne uideretur ipse gratiam
» dare, ideo non fecit. & deinde, Centum &
» uiginti erant, & unum quærit ex omni mul-
» titudine. Opportune uero primus Petrus hu
» iusmodi rei dominatur, quia ipse omnes in
» potestate acceperat. ad eum enim dixit Chri

» ſtus: Et tu aliquando conuerſus confirma
» fratres tuos. hæc Chriſoſtomus.
10 Sexto obiiciunt, de eo, quod habetur Act.
VIII. quòd, cum audiſſent apoſtoli, quòd
recepit Samaria uerbum dei, miſerunt ad il-
» los Petrum & Ioannem. quod ſuperiorita-
» tem deſignat, iuxta illud Io. XIII. Non eſt
» ſeruus maior domino ſuo, neque apoſtolus
» maior eſt eo, qui miſit illum: & Lucæ VIII.
cum dixit centurio: Nam & ego homo ſum,
ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me mi
lites: & dico huic, uade; & uadit. non erit
itaque Petrus ſuperior his qui miſerunt eum.
Reſpondetur, non ſemper miſsionem ſupe-
rioritatem deſignare. & ut humana omitta-
mus exempla, diuina recenſeamus. Nonne
cum æquales, & conſubſtantiales ſint pater,
filius, & ſpiritus ſanctus; pater tamen miſit
filium, & ſpiritus ſanctus miſſus eſt ab utro-
» que? habetur enim Io. XIIII. Paracletus au
» tem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in no
» mine meo, ille uos docebit omnem uerita-
» tem. & c. XV. Hæc omnia facient uobis
» propter nomen meum, quia neſciunt eum,
» qui miſit me. & paulo poſt: Cum uene-
» rit paracletus, quem ego mittam uobis à pa-
» tre, ſpiritum ueritatis, qui à patre procedit.
» & cap. XVI. Si non abiero, paracletus non
» ueniet ad uos: ſi autem abiero, mittam eum

» ad uos. item act. III. Petrus ad Iudæos: Pœ
» nitemini, & conuertimini; ut deleantur pec-
» cata uestra: ut, cum uenerint tempora refrige
» rii à conspectu domini, & miserit eum, qui
» prædicatus est uobis, Iesum Christum &c.
uel dicendum, missum consilio, non auctori
tate. At etiam dici potest, Petrum legationem
ab apostolis suscepisse, subsecutũ monita do
mini; ut qui maior erat, fieret aliorũ minister.

Septimo obiiciunt, quòd Petrus non fue
rit caput ecclesiæ, quoniam cum capitis neces
saria sit connexio ad corpus, & abscisso capi-
te necesse sit & corpus interire; nusquam es-
set ecclesia defuncto Petro, aut sede uacante
per sui successoris obitum, uel priuationem.
11 Respondetur, non posse ecclesiam consiste-
re, uel quoduis aliud corpus, sine capite,
quod motum influat, & corpus dirigat inte-
riori influxu; qui est Christus, cuius solius
est gratiam influere; non Petrus, aut succes-
sor eius, quòd solum exteriori gubernatio-
ne corpus mysticum ecclesiæ dirigit. Est igi-
tur Christus caput præcipuum ecclesiæ, mo
tum & sensum spirituales in membra eccle-
siæ influens, per modum efficientis causæ,
inquantum deus; & per modum meriti,
inquantum homo. Petrus autem, & pro
tempore eius successor, est caput minus prin
cipale, quod ministeriale appellare possu-

mus: ſine quo eſſe poteſt eccleſia. Non enim omnimoda eſt ſimilitudo corporis ueri, & corporis myſtici, nec utriuſque capitis. Quòd ſi quis ulterius urgeret, ergo ante Chriſtum, ut deum & hominem, non erat eccleſia, aut caruiſſet utroque capite. reſpondetur, quòd licet careret capite, quod eam dirigeret per modum meriti, deus tamen eam dirigebat per modum cauſæ efficientis. Et deum etiam eſſe caput eccleſiæ, colligitur ex Paulo, primæ Corinth. XI. cum dixit: Omnis uiri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, uir: caput uero Chriſti, deus; ſic colligendo: Chriſti caput eſt deus: Chriſtus eccleſiæ: igitur deus caput eſt eccleſiæ. propterea non ſine capite erat eccleſia ante Chriſtum, ut deum & hominem. Plura alia obiiciuntur, quæ conſulto omittimus, quoniam eorum diſſolutio ex iis, quæ dicta ſunt, facile colligi poteſt.

Auctoritatem datam Petro, *datam etiam ſucceſſoribus* Petri. *Cap.* XIII.

HAEC autem ſuprema Petri auctoritas, non ſoli Petro à Chriſto Ieſu data fuit, ſed eius etiam ſucceſſori-
1 bus. quoniam ſi ſoli Petro tributa fuiſſet; eo uita functo, careret eccleſia capite, ad quod in terris recurri poſsit. Nec cenſendum poſt

Petrum diuersum fore regimen ecclesiæ ab eo, quod fuit eo uiuente: & ex monarchia factam aristocratiam, aut oligarchiam: minusq; ad alios, quàm Petri successores, transisse ecclesiæ regimen. Quod comprobauit sanctus Thomas, lib. IIII contra gentiles, cap. LXXVI. hac ratione: Satis constat, Christum ecclesiam constituisse in seculum permansuram, iuxta illud Esaiæ IX. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modo usque in sempiternum. Igitur ea ratione ministros instituit, ut eorum auctoritas ad posteros continua successione usque in finem seculi perueniret. aliter non impleretur, quod pollicitus est dominus, Matth. ultimo: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationẽ seculi: cum de his, qui tunc uiuebant, & breui erant morituri, dici non posit, quòd secum foret in perpetuum. Et hoc est, quod dixit August. super Io. & habetur in c. Quodcunque XXIIII. q. I. Petrus quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit: quia scilicet non tantum pro se, sed etiam pro omnibus successoribus accepit, usque in finem seculi, quousque duratura est ecclesia: ut etiam aliàs diximus.

Præterea cum auctoritas Petri & ecclesiæ

data ſit in ædificationem, ut dixit Paulus ſecundæ Corinth. cap. x. indigeatq; eccleſia ædificatione uſque in finem ſeculi, in quo electorum numerus complebitur: ſubſequitur datam pro ſucceſſoribus. Quòd autem eccleſia ædificatione indigeat uſque in finem ſeculi, colligitur ex Hieronymo, ſuper illud pſalmi, Hieruſalem quæ ædificatur ut ciuitas; in qua (inquit) Adhuc non eſt impletum ædificium, ſed continue ædificatur ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ab ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Quod etiam teſtatur Chriſoſtomus in illud Matth. XXIIII. Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt; cum dixit, quòd uerba illa ad Petrum Matth. XV. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. in æternum manſura ſunt. Item ſententia
» fuit eiuſdem Chriſoſt. quòd ſicut Chriſtus
» accepit à patre ſceptrum eccleſiæ gentium, &
» Iſrael, egrediens ſuper omnem principatum,
» & poteſtatem, & ſuper quodcunque, ut ei
» omne genu curuetur: ſic & Petro, & eius
» ſucceſſoribus pleniſsime commiſit. & Cirilli, Hieroſolymitani patriarchæ, ubi per-
» ſonam Chriſti inducens, inquit: Tu cum fi-
» ne, & ego ſine fine cum omnibus, quos lo-
» co tui ponam, pleno & perfecto ſacramen-
» to, & auctoritate cum eis ero, ſicut ſum te-

cum. Nec mirum, ſi Adrianus II (ut in actis
ſeptimæ ſynodi habetur) ad Conſtantinum
& Irenem Imper. ſcribens de ueneratione
» ſanctarum imaginum, inquit: Nam ipſe
» princeps apoſtolorum, beatus Petrus, qui
» primus apoſtolicæ ſedi præſedit, ſui apoſto
» latus principatum, ac paſtoralis curæ, ſucceſ-
» ſoribus ſuis, qui in ſua ſanctiſsima ſede ſuc-
» ceſſuri ſunt perenniter, dereliquit: quibus &
» auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à
» ſaluatore noſtro, & domino deo ei conceſſa
» eſt, ipſeq; tradidit diuino iuſſu ſucceſſoribus
» ſuis: quorum traditione, Chriſti ſacram ima
» ginem, ſanctæq; genitricis eius, apoſtolo-
» rumq;, & omnium ſanctorum uenerantur
» imagines. Quod etiam confeſſus eſt Igna-
tius, Conſtantinopolitan. patriarcha, ad eun
» dem Adrianum ſcribens, his uerbis: Tales
» enim beatas uoces non ſecundum quandam
» utique ſortem apoſtolorum principi Petro
» ſolum circunſcripſit, & definiuit, ſed per
» eum & ad omnes, qui poſt illum ſecundum
» ipſum efficiendi erant ſummi paſtores, & di
» uiniſsimi, ſacriq; pontifices ſenioris Romæ.

2 Nec ex eo, quòd aliqui ex Petri ſucceſſo-
ribus gregem dominicum nec ament, nec pa
ſcant, ſubtrahitur eis paſcendi, aut regendi
auctoritas & poteſtas: etſi deceret eum, qui
Petri locum tenet, maiori amore Chriſtum

prosequi. quoniam cum diuersæ res sint, potestas, & amor, alter ab altero seiungi potest, adesseq; amor sine primatu, ut in Petro, antequam foret aliorum pastor; & primatus sine amore; si Petrus post susceptam potestatem, ante misionem spiritus sancti à iustitia defecisset: quod poterat. propterea non subsequitur, desiisse in Petri successore potestatem, si defuerit in Christum amor. quod ideo est, quoniam quod dictum fuit Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: quia ad pontificatum totius ecclesiæ pertinet; oportet & ad successorem pertinere: oportetq; Petri successorem, esse Petrum, idest, in fide solidum. Quod uero apud Io. dictum est Petro, Amas me? diligis me? ad rectitudinem pastoralis officii spectat, etiam ad successorem dictum censetur, non ut sit pontifex & pastor, sed ut sit bonus pontifex, & pastor bonus: quemadmodum & aliàs docuit dominus, qualis esse deberet bonus pastor. At cætera quæ dicta sunt Petro, cuiusmodi sunt: Vade post me Sathana: Non sapis quæ dei sunt: Cum esses iunior, cingebas te: Tu aliquando conuersus: Antequam gallus cantet, ter me negabis: Vade, & mitte hamum; nec ad pastorale officium, nec ad illius rectitudinem spe-

ctant. propterea soli Petro, non successoribus dicta.

At licet quod dictum est soli Petro, Tibi dabo claues &c. Pasce oues meas; minime dictum censeatur aliis apostolis: non tamen subsequitur, ad successores non extendendum. quoniam ad innumeros successores pertinere potest, quod uni ratione officii tribuitur: cuius gratia omnes unum censentur: quod tamen pluribus eodem tempore tribui non potest: sicut unius ouilis successiuo ordine plures pastores esse possunt, quos tamen non decet esse plures uno eodemq; tempore.

Si canones quærimus, quibus decretum sit, dicta Petro, censeri dicta & successoribus, habemus c. Solitæ. de maior. & obed. c. Per uenerabilem qui fil. sint legit. c. Ad apostolicæ. de re iud. lib. VI. c. I. de homi. lib. VI.

3 Ratio autem, cur Petrus successorem habet, non cæteri apostoli, est; quoniam pastoris officium est ordinarium, cuius est successorem habere: apostolatus autem, qui missio seu legatio interpretatur, iuxta illud secundæ Corint. cap. V. Legatione pro Christo fungimur: & Ephes. VI. Legatione fungor in cathena ista; minime perpetuum est officium: nec ei successorem dari oportet: licet episcopi eis successerint in episcopali auctoritate, & dignitate; de quibus interpreta-

mur illud psalm. XLIIII. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Quin etiam nec Petrus successorem habuit in apostolatus officio: tum quia apostolatum suscepit cum aliis communem, in quo omnes pares fuere: tum quia nullius Petri successoris libellos, quantumcunque sanctos, inter sacras recipimus scripturas: cum tamen etiam epistola Pauli ad Philemonem, quamuis unius fugitiui serui commendatitia, inter sacras scripturas computetur: non autem decreta, aut epistolæ successorum Petri. Veruntamen quia Petri successor in pastorali officio ouium Christi, ex hoc ipso succedit in præcipuo apostolatus officio: quod, teste sancto Thoma, erat catholicam ecclesiam gubernare, & quod communiter omnibus apostolis delegatum fuerat, hoc ipsum Petri pastorali officio datum, cum illi dictum est: Pasce oues meas. quod nulli alteri soli dictum fuerat. propterea hoc soli Petri successori, successionis quodam iure tribuitur: non autem potestas faciendi miracula; quæ in uniuersum data fuit omnibus apostolis. Hinc solius Petri sedes, apostolica dicta est, quòd in ea sola sit auctoritas gubernandi catholicam ecclesiam. hinc Petri successor, apostolicus: hinc eius sedes & auctoritas, apostolica nuncupata. Et quamuis omnibus apostolis data fuerit potestas gubernan

di oues Christi, easq; undique ad Christi ouile cogendi: nulli tamen data est potestas gubernandi omnes, & quascunque oues: quia soli Petro in uniuersum data est potestas in omnes; & tam lata, ut etiam in cæteros apostolos potestatem haberet: non sic aliis, quorum unus alteri non subiiciebatur: sed omnes cum essent oues ouilis Christi, subiiciebantur Petro, pastori constituto.

Nec propterea unus est pastor totius ecclesiæ, quia unus episcopus maior sit alio, cum omnes in episcopali ordine pares existant: sicut nec unus presbyter, si ordinem respiciamus, maior est alio. Sed ideo unus est pastor totius ecclesiæ, aliis prælatus episcopis, & presbyteris, quia unus est Petri successor in pastorali officio. quo modo intelligenda sunt quæ dixit Hieronymus in epistola ad Euagrium, & habetur in c. Legimus. XCIII. dist. & in c. Olim. XCV. dist. & quæ dixit Cyprianus in c. Loquitur. XXIIII. q. I. ubi non solum apostoli cum Petro pares constituuntur, sed & presbyteri cum episcopis. In tantum autem unus est Petri successor, & unus Papa, quòd non posset concilium, non tota ecclesia, non ipse Papa statuere, quòd essent duo Romani pontifices: quia non possunt esse duo apostolici. glo. in c. Non autem. VII. q. I. Ex quo infert Rosellus in

ſua monarchia, in diſcuſsione illius quæſiti, Cui fuit data poteſtas illa ſuprema, an eccleſiæ, uel Petro? ꝙ tempore ſchiſmatis non potuiſſet concilium ſtatuere, quòd uterque eorum qui de pontificatu contendebant, ut pontifex ſummus in ſua obedientia ſederet: licet ſecus in inferiori epiſcopatu, ut d.c. Non autē.

Romanum Pont. eſſe Petri in pontificatu ſucceſſorem. Cap. XIIII.

ROMANVM autem pontificem, eum eſſe qui Petri in pontificatu ſucceſſor ſit, ſatis comprobatum erit, ſi recenſebimus teſtimonia ſanctorum patrum, ſacrorum conciliorum, & Rom. Imperatorum; quæ id conſtanter aſſeuerarunt: ſiq; oſtenderimus eum eſſe uniuerſalis eccleſiæ epiſcopum, omnes ei ſubeſſe ab exordio Chriſtianæ eccleſię, & ei paruiſſe non minus orientalis, quàm occidentalis eccleſiæ epiſcopos: maiores cauſas ad eius ſedem & delatas, & deferendas: licere cuique ad eum, eiusq; ſedem appellare: ab eo neminem appellare poſſe: conſueuiſſe inſuper iam inde ab initio naſcentis & adoleſcentis eccleſiæ, aliorum epiſcoporum electiones confirmare: aliaq; gerere, & mandare, quæ ſuperioritatem, plenam iuriſdictionem, & ſupremam auctoritatem facile oſtendant.

1 Quod attinet ad ſanctorum patrum teſti-
monia, habemus Cyprianum epiſtolarum li
bro III. ad Antonianum; qui de Cornelio
Rom. pontifice ſcribens, poſt alia ſubiicit:
» Factus eſt Cornelius epiſcopus, de dei & Chri
» ſti eius iudicio, de clericorum pene omnium
» teſtimonio: de plebis, quæ tunc affuit, ſuffra
» gio, & de ſacerdotum antiquorum, & bono
» rum uirorum collegio: cum nemo ante ſe fa
» ctus eſſet: cum Fabiani locus, ideſt, cum lo-
» cus Petri, & gradus cathedræ ſacerdotalis ua
» caret: quo occupato, & dei uoluntate, atque
omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſ
» quis iam epiſcopus fieri uoluerit, foris fiat
» neceſſe eſt. & habetur in c. Factus eſt Corne
lius. VII. q. I.

Conteſtis eſt Cypriano Hieronymus, qui
ad Damaſum Rom. pontificem ſcribens,
» inquit: Quoniam uetuſto oriens inter ſe po
» pulorum furore colliſus, indiuiſam domini
» tunicam, & deſuper contextam minutatim
» diſcerpit, & Chriſti uineam exterminant uul
» pes, ut inter lacus contritos, qui non habent
» aquam: & difficile, ubi fons ſignatus, & hor
» tus concluſus ſit, poſsit intelligi. ideo mihi
» cathedram Petri, & fidem apoſtolico ore lau
» datam. & poſtea: Nunc in occidente ſol iu
» ſtitiæ oritur, in oriente autem lucifer ille,
» quo ceciderat, ſupra ſydera poſuit thronum

» ſuum. Vos eſtis lux mundi: uos eſtis ſal ter
» ræ: uos uaſa aurea & argentea. Hic teſtea ua
» ſa, uirga ferrea & æterno operiuntur incen-
» dio. Quanquam igitur tui me terreat magni-
» tudo, tamen inuitat humanitas. A ſacerdote
» uictima ſalutem, à paſtore præſidium ouis
» flagito: fatiſcat inuidia, Romani culminis re-
» cedat ambitio. cum ſucceſſore piſcatoris, &
» diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum præ-
» mium, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini
» tuæ. i. cathedræ ſancti Petri communione
» conſortior: ſuper illam petram fundatam ec-
» cleſiam ſcio: quicunque extra hanc domum
» agnum comederit, prophanus eſt. ſi quis in
» arca Noe non fuerit, peribit regnante dilu-
uio. & habetur in c. Quoniam uetuſto ori-
ens XXIIII. q. I. Et alibi ad eundem
» Damaſum ſcripſit: Hæc eſt fides, Papa bea
» tiſsime, quam in catholica didicimus eccleſia,
» quamq; ſemper tenuimus: in qua ſi minus
» perite, aut parum caute aliquid poſitum eſt,
» emendari cupimus à te, qui Petri ſedem & fi
» dem tenes. Si autem hæc noſtra confeſsio,
» apoſtolatus tui iudicio comprobatur, qui-
» cunque me culpare uoluerit, ſe imperitum
» & maleuolum, uel etiam non catholicum,
» ſed hæreticum comprobabit. & habetur in
c. Hæc eſt fides. ead. cau. & .q.

Item Xyſtus epiſtola prima ad Gratum,

» & habetur in c. Memor. XXIIII. q. I. in-
» quit: Memor enim me ſub illius nomine ec
» cleſiæ præſidere, cuius à domino Ieſu Chri
» ſto eſt glorificata confeſsio: & cuius fides
» nullum unquam fallit, ſed omnes quidem
» hæreſes deſtruit.

Et Syritius ad Himerium Tarraconen.
» dixit: Pro officii noſtri conſideratione, non
» eſt nobis diſsimulare, non eſt tacere libertas:
» quibus maior cunctis chriſtianæ religionis ze
» lus incumbit. portamus onera omnium qui
» generantur: quinimo hæc portat in nobis
» beatus Petrus apoſtolus: qui nos in omni-
» bus (ut confidimus) adminiſtrationis ſuæ pro
» tegit, & tuetur hæredes.

Concordat Marcellus pontifex, ad uni-
uerſos per Antiochiam prouinciam conſtitu
» tos Epiſcopos, cum inquit: Rogamus uos,
» fratres, ut nõ aliud doceatis ac ſentiatis, quàm
» quod à beato Petro apoſtolo, et reliquis apo
» ſtolis ac patribus accepiſtis. ab illo enim pri-
» mum inſtructi eſtis. Ideo non oportet uos de
» relinquere primum patrem, & alios ſequi.
» Ipſe enim eſt caput eccleſiæ: cui dominus ait:
» Tu es Petrus &c. Eius enim ſedes primum
» apud uos fuit: quæ poſtea iubente domino
» Romam tranſlata eſt: cui adminiculante gra
» tia diuina præſidemus. Et habetur in c. Ro-
gamus. XXIIII. q. I.

Euſebius

cti Cypriani epistolæ, se inscripsit: Stephanus, sanctæ apostolicæ & uniuersalis ecclesiæ episcopus, omnibus per diuersas prouincias episcopis. Et Marcellinus se inscripsit: Marcellinus, episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ urbis Romæ. non quòd censuerint Rom. ecclesiam uniuersalem esse, cum, tanquam Romana, pars sit uniuersalis ecclesiæ, sed ut designarent eum, qui Romanus foret episcopus, esse & uniuersalis ecclesiæ. Quo modo etiam se inscripsit Marcellus episcopus, in epistola ad Maxentium, cum dixit: Marcellus, episcopus sanctæ apostolicæ & catholicæ urbis Romæ ecclesiæ, Maxentio. Item Eusebius cum dixit: Eusebius, Rom. & apostolicæ ecclesiæ episcopus.

Siluester autem se in hunc modum inscripsit: Siluester, episcopus sanctæ & apostolicæ sedis, præsul urbis Romæ. & Felix II, qui factus est pontifex anno CCCLXII, in epistola ad Athanasium, & uniuersos Aegyptiorum, Thebaidorum, Libyorum episcopos, in Alexandriñ. synodo congregatos, sic exorditur: Felix, almæ urbis & uniuersalis ecclesiæ episcopus. & in alia epistola ad reliquos domini sacerdotes, de patienti sufferentia persecutionum & tribulationum, se uocauit Felicem, uniuersalis ecclesiæ Papam, ac propter gratiam dei catholicæ & apostolicæ

urbis Romæ episcopum. Item Vigilius, qui pontifex fuit anno DXL, quandoque se inscripsit episcopum sanctæ ecclesiæ catholicæ urbis Romæ; quandoque episcopum ca-
2 tholicæ ecclesiæ. Diuus Gregorius, & post eum alii pontifices se inscripsere: seruus seruorum dei. Reperio tamen Damasum primum, epistola III etiam ante Gregorium se inscripsisse: Damasus, seruus seruorum dei, atque per gratiam eius, episcopus sanctæ catholicæ ecclesiæ urbis Romæ, Stephano archiepiscopo concilii Mauritaniæ, & uniuersis episcopis Africanæ prouinciæ.

Nec solum ipsi Romani pontifices, se uniuersalis ecclesiæ episcopos nominarunt: sed etiam ab aliis, & ab ipsis sacris conciliis eodem titulo appellati sunt. A beato enim Athanasio, Alexandriñ. episcopo, & uniuersis Aegyptiorum episcopis, inscribitur epistola: Marco Rom. & apostolicæ atque uniuersalis ecclesiæ Papæ. Item in alia ipsorum epistola ad Liberium Papam, post plura dixere: Huius rei gratia uniuersalis uobis à Christo Iesu commissa est ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Et in act. quintæ synodi Constantinopolitanæ, habetur epistola Mariani presbyteri, & primatis monasteriorum regiæ ciuitatis, hoc titulo inscripta: Domino no-

» uniuerſi orientalis tractus ſubiicere ſedi ue-
» ſtræ ſanctitatis properauimus. & infra: Nec
» enim patimur quicquam, quod ad eccleſia-
» rum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum
» & indubitatum ſit, & non etiam ueſtræ inno
» teſcat ſanctitati; quæ caput eſt omnium eccle
» ſiarum ſanctarum. Per omnia enim prope-
» ramus honorem & auctoritatem creſcere ue
» ſtræ ſanctæ ſedi.

3 Hoc idem ſacra approbarunt concilia, & præcipue patres Chalcedoneñ. concilii, qui in relatione actorum beato Leoni profeſsi ſunt, eundem Leonem præfuiſſe ſynodo, ſicut membris caput. Patres etiam ſextæ ſynodi, in ſermone proſphonetico ad Conſtantinum Imper. gratias agentes deo, quòd per apoſtolicam ſedem ipſis refulſiſſet orthodoxa fides, hæc protulere uerba:
» Nobiſcum
» concertabat apoſtolorum princeps: illius e-
» nim imitatorem, & ſedis ſucceſſorem, habui
» mus fautorem: & diuini ſacramenti myſterii
» illuſtrante per literas confeſsionem ſibi à deo
» inſcriptam illa Romana antiqua ciuitas obtu
lit. & quæ ſequuntur. Hoc idem definiuit
» Florentiñ. ſynodus, his uerbis: Definimus
» ſanctam apoſtolicam ſedem, & Rom. pon-
» tificem in uniuerſum orbem tenere prima-
» tum: & ipſum Rom. pontificem, ſucceſſo-
» rem eſſe beati Petri, principis apoſtolorum;

» & uerum uicarium Iesu Christi, totiusq; ec
» clesiæ caput, & omnium Christianorum pa
» trem & doctorem existere: & ipsi in beato
» Petro pascendi, regendi, & gubernandi uni-
» uersalem ecclesiam, à domino Iesu Christo
» plenam potestatem traditam esse. & reliqua.

Romanum pontificem esse, & recte appellari universalis ecclesiæ episcopum. Cap. XV.

ROMANVM autem pontificem esse, & recte appellari uniuersalis ecclesiæ episcopum, colligitur ex epistolis sanctorum pontificum primitiuæ ecclesiæ, & aliorum ad eos. & primo ex epistola Xysti primi, qui Rom. pontifex fuit ante annos MCCC, ad episcopos: quam sic inscripsit: Xystus, uniuersalis ecclesiæ episcopus, omnibus episcopis in domino salutem. Item Victor, non ultra LXX annum post eum pontifex, ad Theophilum, Alexandriñ. episcopum, his uerbis: Victor Rom. & uniuersalis ecclesiæ archiepiscopus, Theophilo episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria deo famulantibus. Item Pontianus, non multo post pontifex, uniuersis Christi fidelibus scribens, exorditur: Pontianus, sanctæ & uniuersalis ecclesiæ episcopus, omnibus recte dominum colentibus. Item Stephanus primus, ad quem extant san

» nerandam synodum, te auctore maxima pax
» circa omnes episcopos fidei catholicæ fiat, ab
» omni scelere pura, & intemerata consistens.

In epistola Gallæ Placidiæ, matris Theo dosii iunioris, ad Eliam Pulcheriam, Augu
» sti filiam, habetur: Cum beato apostolo
» Petro nostram præsentiam dedissemus, illic
» multitudine sacerdotũ reuerendissimus Leo
» Papa circundatus pro dignitate sui loci nos
» prius adiit, qui propter impositam gemitus
» sui tristitiam, desiderium pene suum uerbis
» insinuare non poterat. uicit tamen constan-
» tia sapientiæ sacerdotis, ut lacrymas pau-
» lulum retineret, & causam uiolatæ fidei tan-
» quam uindex manifesto sermone proferret:
» in quo sermone cognouimus à nostris catho
licam fidem esse turbatam, quam à diuo pa-
» tre nostro Constantino nostri generis paren
» tes hactenus seruauerunt. Et infra: Igitur
» tua clementia secundum catholicam fidem,
» (quod semper nobiscum fecit) & nunc simi-
» liter conspirare dignetur: ut quicquid in illo
» tumultuoso, miseroq; concilio constitutum
» est, omni uirtute submoueatur, & omni-
» bus integris permanentibus ad apostolicæ se
» dis iudicium, in qua primus beatissimus apo
» stolorum Petrus, qui etiam claues regno-
» rum cœlestium suscipiens, sacerdotii princi-
» patum tenuit; episcopatus causa mittatur.

In alia epiſtola eiuſdem ad Theodoſium
» iuniorem filium habetur: Hac gratia tua
» manſuetudo tantis turbationibus reſiſtens,
» ueritatem immaculatam catholicæ fidei & re
» ligionis ſeruare præcipiat: ut ſecundum for
» mam & definitionē apoſtolicæ ſedis, quam
» & nos præcellentes ſimiliter ueneramur in
» ſtatu ſacerdotii illæſo manente per omnia
» Flauiano, ad concilii & apoſtolicæ ſedis iu-
» dicium mittatur; in qua primus ille, qui cœ
» leſtes claues fuit dignus accipere, principa-
» tum epiſcopatus ordinauit. Hæc ex primo
tomo conciliorum, cum acta Chalcedoneñ.
concilii referuntur.

Non minus pie Iuſtinianus Imper. in au
ten. de eccl. tit. in principio. col. IX. dixit:
» Sancimus itaque uicem legum obtinere ſan-
» ctas regulas, quæ à ſanctis conciliis quatuor
» ſynodorum, ſicut ſacras ſcripturas accepi-
» mus, & regulas ſicut leges ſeruamus. Itaque
» ſancimus, ſecundum eorum definitiones,
» ſanctiſsimum ſenioris Romæ Papam pri-
» mum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſsi-
» mum autem archiepiſcopum Conſtantino-
» poleos, nouæ Romæ, ſecundum habere lo-
» cum poſt ſanctam apoſtolicam ſedem ſenio-
» ris Romæ. & in l. Inter claras. C. de ſum.
» trinit. & fid. cathol. Ad Ioannem Romanæ
» ſedis præſulem inquit: Omnes ſacerdotes

Euſebius etiam, Marcelli immediatus ſucceſſor, epiſtola ad Thuſciæ & Campaniæ
» epiſcopos, inquit: Benedictus dominus de-
» us noſter, qui per miſericordiam ſuam Ro-
» manam eccleſiam beati Petri, apoſtolorum
» principis, ſacerdotio ditauit.

Quòd ſiquis ſuſpectum habeat teſtimonium Rom. pontificum, nec acquieſcat auctoritati Cypriani, & Hieronymi; quòd Latini fuerint: legat etiam Græcos auctores, Cy-
» rillum ſcilicet lib. Theſaur. cum inquit: Vt
» membra maneamus in noſtro capite apoſto
» lico, Rom. pontifice, in quo noſtrum eſt
» quærere, quid credere, & quid tenere debea-
» mus; ipſum rogantes, illum uenerantes præ
» omnibus. quoniam ipſius ſolius eſt repre-
» hendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, liga
» re & ſoluere loco illius, qui eam ædificauit,
» & nulli alteri quod ſuum eſt, plenum, ſed
» ipſi ſoli dedit: cui omnes iure diuino caput
» inclinant, & primates mundi tanquam ipſi
» domino noſtro Ieſu Chriſto obediunt. &
» Euſebium, qui lib. III. cap. XXI. eccle-
» ſiaſt. hiſt. inquit: Qua tempeſtate in urbe Roma Clemens quoque tertius poſt Paulum & Petrum pontificatum tenebat.

2 Tranſeamus ad Romanorum Imperatorum teſtimonia, & audiamus Valentinianum ad Theodoſium Imperatorem, cum

» inquit: Cum aduenissem ad urbem Ro-
» mam, ad diuinitatem placandam, sequenti
» die ad basilicam apostoli Petri accessi: & ibi
» post uenerabilem noctem diei apostoli, à
» Rom. præsule, & aliis cum eo ex diuersis
» prouinciis congregatis rogatus sum scribere
» uestræ consuetudini de fide, quæ cum sit con
» seruatrix omnium fidelium animarum, dici
» tur conturbata; quam nos à nostris maiori-
» bus traditam debemus cum omni competen
» ti deuotione defendere, & dignitatem pro-
» priæ uenerationis beato Petro apostolo inte
» meratam, & in nostris temporibus conserua
» re, quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis
» episcopus, cui principatum sacerdotii super
» omnes antiquitas contulit, locum habeat, &
» facultatem de fide, & sacerdotibus iudicare.

Item Valentinianus iunior, & Martia-
» nus ad Leonem pontificem dixere: Pro re-
» uerentia, & catholica religione Christiano-
» rum fidei, cuius auxilio uirtutem nostræ po
» tentiæ credimus gubernari, tuam sanctita-
» tem, principatum in episcopatu diuinæ fidei
» possidentem, sacris literis iustum credimus
» alloquendam, & inuitantes, atque rogantes,
» ut pro firmitate & statu nostri imperii æter-
» nam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, ut
» & tale propositum & desiderium habeamus,
» quatenus omni impio errore sublato per ue

4 Si quis secundo obiecerit, dicens: præcepit apostolus omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse debere, & debitam eisdem præstare obedientiam: igitur & summus sacerdos subdi debet sublimioribus potestatibus. respondemus, ex hoc minus recte colligi subiectionem sacerdotii magistratibus secularibus, sed id solum, quòd quisque inferior subditus esse debet superiori suo. quoniam non de ciuilibus tantum magistratibus dixit, sed in uniuersum de omnibus: ita ut iuxta illam apostoli sententiam, serui dominis, famuli & ancillæ patrifamilias, uxor marito, monachi abbati suo obedire teneantur. Quòd uero generalius illam sententiam in ciuilibus, & huius seculi potestatibus, uelut in exemplo, diligentius executus est: hoc fecit, ut obstrueret ora quorundam loquentium iniqua: propterea quòd apud gentes blasphemabatur nomen Christi, & Christiana religio: quasi doceret subditos rebellare magistratibus, seruos dominis.

5 Ex eo autem, quod Petrus dixit: Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter deum, siue regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad uindictam malorum: quia sic est uoluntas dei; perperam colligitur, sacerdotes, & ipsum summum sacerdotem secularibus magistratibus

ſubditos eſſe. Sed potius colligendum eſt, omnes magiſtratus, qui membra ſunt eccleſiæ, ſummo ſacerdoti, ut ſuperiori, obedientiam debere. Regi autem obediendum eſt in his, quæ ad regium munus ſpectant. quòd ſi limites ſui officii tranſgrediatur, non amplius obediendum: ſicut filii Iſrael, qui ſub rege Babylonio uiuebant, quibus à deo præceptum erat, ut regi obedirent; obediebant regi externo in his, quæ ad officium regis pertinebant: ſed cum ſtatuam adorare iuſsi ſunt: maluerunt in fornacem ardentem coniici, quàm obedire.

6 Eodem modo quod habetur Rom. XIII. Omnis poteſtas eſt à deo: & qui poteſtati reſiſtit, dei ordinationi reſiſtit: non igitur ei reſiſtendum, quia miniſter dei eſt; interpretandum eſt, non reſiſtendum ei, ſed parendum, tanquam dei miniſtro, in his, quæ ad eius officium ſpectant.

7 Aduertat tamen diligens lector, ne in errorem incidat, propter extrauag. Clem. V. quæ incipit: Meruit chariſsimi filii. quoniam non decernit Franciæ regem, cum ſuæ ditionis hominibus, non teneri credere, ſe eſſe ſubiectum Rom. pontifici. id enim pugnaret cum conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit: Vnam ſanctam. ſed hoc decernit ea conſtitutio, nullum regi, aut regno præiudicium

cerdotibus subiicerentur: quin potius in ueteri lege regia maiestas maior erat sacerdotali. Legimus enim quòd Salomon rex deiecit Abiatar de sacerdotio, qui erat summus sacerdos: quòd constituit, iuxta dispositionem patris sui, officia sacerdotum in ministeriis suis. II. Paralip. XXVIII. quòd Iosaphat in Hierusalem cōstituit Leuitas, & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, ut iudicium, & causam domini iudicarent habitatoribus terræ. II. Paralip. XIX. quòd Ezechias non modo instaurauit ualuas domus domini, sed etiam sacerdotes corrigere conatus est. Paralip. XXIX. quòd Iosias, bonus ille rex, cum templi oblationes ingurgitari uideret à sacerdotibus, scribam suum exigendis rationibus præfecit. sicq; hi omnes, in ueteri lege, in sacerdotes usi sunt iurisdictione & potestate. respondemus, quòd lex illa carnalis erat, & terrena, ea promittens, quæ ad ueterem hominem duntaxat respiciunt. & ideo lex uetus dicta est, secundum August. in quæst. noui & ueter. testa. Lex autem noua, spiritualis est, cœlestia præcipue respiciens: propterea tanta eius pontifici à Christo Iesu data est auctoritas & dignitas, quòd reges & principes non dedignantur capita ei submittere, ut legitur in c. Valentinianus LXIII. dist.

Sunt tamen nonnulli, qui uoluere etiam in ueteri lege regiam poteſtatem non fuiſſe maiorem ſacerdotali: idque colligi Deutero. II. ubi cum de regis electione ſermo fieret, denunciatur quòd poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſcribi deuteronomium, ideſt, reintegrationem uel reſcriptionem legis, accipiens exemplar à ſacerdotibus. Nam ſi hiſtoriæ ſcholaſticæ credimus, nihil debebat facere rex ſine conſilio pontificis, & ſeniorum. In Iudæa enim ante reges erant iudices, & à iudicibus recurrebatur ad ſacerdotium. Quia (ut habetur Deuteron. XVII.) Si difficile & ambiguum apud te eſſe perſpexeris, ueniens ad ſacerdotes Leuitici generis &c. ubi notant eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quòd iudices ſedentes in portis ciuitatis, iudicantes intrinſecos & extrinſecos, ſi contingeret iudices illos ambigere, quid decernendum, ad ſummum ſacerdotem aſcenderent; & quod iudicaret, exequerentur. propter quod ſubiicitur, quòd qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, & iudicis decreto, moriatur homo ille. ubi marginalis glo. addit, quòd Chriſtus, qui eſt ſacerdos, uicarios ſibi conſtituit, quibus dixit: Qui uos ſpernit, me ſpernit; iure concludens, damnationis ſuſtinet ſententiam, qui contemnit diuinitatis potentiam.

» uerſali principe paſtorum ſimul cum ipſo di
» uinitus loquente &c. Quod idem colligitur ex text. in c. In nomine domini. XXIII. diſt. cum dicitur: Obeunte Rom. et uniuerſalis eccleſiæ antiſtite.

Romano pontifici deberi ab omnibus Chriſti fidelibus obedientiam. Cap. XVI.

CVM ſecundum Apoſtolum, ad Roma. XII. quæ à deo ſunt, ordinata ſint, nec niſi à deo ſit poteſtas: & ſecundum Dionyſ. in li. de angel. hierar. lex diuinitatis ſit, ut infima in ſuprema per media reducantur: ſubſequitur, ut ordo ſit in uniuerſo, temporalem gladium in ſpiritualem reduci: ne inordinate plura ponantur capita, æque principalia. Quòd autẽ ſpirituale caput id ſit, quod temporali præferatur, deducitur ex eo, ꝙ ſicut in uniuerſali rerum regimine corpora præſunt corporibus, & uniuerſaliter quod terrenum eſt & corporeum ſpiritui ſubſit: ſic in hominum regimine temporales domini ſpiritualibus ſubeſſe debent: & omnes uicario Chriſti, ut in omnibus dominetur Chriſtus, iuxta illud Aug. lib. III. de trinit. cap. IIII. cum dixit, quòd quemadmodum corpora craſsiora & inferiora per ſubtiliora & ſuperiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum, et

uniuersa creatura per creatorem.

Confirmantur quæ diximus, quoniam ex quo tota Christiana uita principaliter ad spiritualem finem, non autem temporalem ordinatur, summus pontifex, qui Iesu Christi in terris uices gerit, cui huiusmodi commissa est ordinatio, plenam habere debet potestatem præcipiendi Christi fidelibus, pro hoc fine assequendo; cum ad eum, ad quem pertinet cura finis ultimi, pertineat & cura eorũ, quæ ad finem ordinantur: Sicut in architectonicis artibus deprehenditur, si ad inferiores comparentur. At quia assecutio cœlestis gloriæ, finis est dignissimus, ecclesiæ sacerdotium dignius erit, & sublimius quacũque terrena potestate. Qua de re dicitur ecclesia regale sacerdotium, cui omnes reges, omnesq; populi subiici debent, sicut ipsi domino nostro Iesu Christo, à quo regale hoc sacerdotium
2 deriuatur. Idem colligitur ex uerbis Christi, cum dixit Petro: Petre, amas me? pasce oues meas. nec enim reges, & potestates seculares excepit. Sunt itaque reges sub Petri successore, tanquam oues sub pastore.

3 Quòd si dixeris, in ueteri lege eatenus habitam rationem sacerdotii, ut deus reges eligeret ministerio sacerdotum, uolueritq;, eosdem à sacerdotibus inungi; non tamen quòd pro huiusmodi rerum statu, reges sa-

ſtro ſanctiſsimo, & beatiſsimo archiepiſcopo antiquæ Romæ, & œcumenico patriarchæ, Agapito. Quin etiam in Chalcedonenſi ſynodo acclamatum eſt Leoni, patriarchæ œcumenico. de quo meminit D. Gregorius in epiſtolis ad Mauritium Imper. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antio
3 cheñ. epiſcopos. Qui etſi huiuſmodi recuſauerit titulum (ut habetur in c. Ecce. XCIX. diſt.) id ex humilitate fecit, declinans dominationis nomen, memor illius dominici præcepti, Qui maior eſt in uobis, fiat ſicut miniſter; illiq; prætulit nomen ſerui ſeruorum. At etiam dici poteſt Gregorium eo loco ſcribentem ad Eulogium, patriarcham Alexandrinum, uoluiſſe taxare ambitum Ioannis Conſtantinopolitañ. qui uolens imitari Romanum pontificem, uſurpauit titulum uniuerſalis epiſcopi, non nominans ſe uniuerſa
4 lis eccleſiæ epiſcopum, ſed uniuerſalem epiſcopum: inter quæ longa eſt differentia: quoniam, ut dixit Pelagius, & habetur in c. Nullus. XCIX. diſt. Qui ſe uniuerſalem facit epiſcopum, omnibus aliis epiſcopatus honorem detrahit, quem ſibi arrogat uniuerſum. ſecus qui ſe uniuerſalis eccleſiæ epiſcopum nominat. et eſt id, quod uoluit dicere S. Thomas in tract. contra impug. relig. quòd Papa prohibet ſe nominari uniuerſalem epiſcopũ, non

quia non ſit paſtor, et rector, et caput uniuerſalis eccleſiæ, uniuerſalis paſtor ouium Chriſti, aut quòd non habeat iuriſdictionem in omnes fideles: ſed prohibere, quia non præficitur cuilibet particulari eccleſiæ, ut proprius & ſpecialis illius rector, & immediatus adminiſtrator. ſic enim ceſſaret omnium epiſcoporum poteſtas.

Legimus etiam in actis eiuſdem Chalcedoneñ. concilii, in pluribus libellis contra Dioſcorum, ſuper iniuriis à Dioſcoro illatis, hanc inſcriptionem: Sanctiſsimo, & deo amantiſsimo, & uniuerſali archiepiſcopo, & patriarchæ magnæ Romæ, Leoni, & ſanctæ uniuerſali Chalcedoneñ. ſynodo. Et legati Leonis ſic ſubſcripſere: Item Paſchaſinus epiſcopus, uice domini mei, beatiſsimi atque apoſtolici uniuerſalis eccleſiæ Papæ urbis Romæ, Leonis; ſynodo præſidens ſtatui &c. Lucentius, epiſcopus eccleſiæ Eſculañ. uicarius domini mei, beatiſsimi atque apoſtolici uiri, uniuerſalis eccleſiæ Papæ.

5 Quin etiam Imperatores Romanum pontificem appellarunt uniuerſalis eccleſiæ epiſcopum. Conſtantinus enim ſextus in gratulatoria epiſtola ad occidentis epiſcopos, qui Romæ cum Agatone Rom. pontifice conuenerant, ex ſententia ſynodi, his uerbis uſus eſt: » Interfuiſtis nanque & uos cum uni-

dicium fieri: nec regem, nec regni incolas magis Rom. pontifici post eam constitutionem subiici, quàm ante subiicerentur: cum id solum intenderet, nulli patere salutis uiam, nisi subdito pastori ouilis Christi. Longe enim differt, dicere esse omnibus ad salutem necessarium, credere omnem humanam creaturam subiici Rom. pontifici, quod falsum est: (quoniam sicut qui extra ecclesiam sunt, minime illius iurisdictioni subsunt: sic nec id credere tenentur, subesse) & dicere, omni humanæ creaturæ esse ad salutem necessarium, ut Romano subsit pontifici: quod uerum est, & definitum per illam extrauag. Vnam sanctam.

Quod habetur in c. Cum ad uerum. XCVI.
» dist. Cum ad uerum uentum est, ultra sibi
» nec Imperator iura pontificatus arripiat: nec
» pontifex iura Imperatoris usurpet: quoni-
» am idem mediator dei & hominum, Chri-
» stus Iesus, actibus propriis, & dignitatibus
» distinctis, officia potestatis utriusque discer-
nit; probat quidem imperium, sicut sacerdotium, processisse à domino deo; à quo etiam
8 aliæ inferiores potestates procedunt: non tamen probat immediate à deo procedere, cum ordine, & intermedio quodam procedat, per debitam scilicet, & subalternatam emanationem à uicario Christi. Dici etiam

poteſt, quòd quatenus conſideratur poteſtas temporalis, reſpectu exercitii, eſt ex dei uoluntate penes ſecularem magiſtratum, duosq́; fore gladios, alterum altero maiorem, ea ſcilicet ratione, ut unus ſit ſupremus in militanti eccleſia, ſicut unus ſupremus princeps eſt in triumphanti.

9 Quòd etſi Papa utrunque habeat gladium, alterius tamen executionem Cæſari delegauit, habitu retinens temporalium iuriſdictionem. & ea de cauſa ſaluator mandauit Petro, ut gladium reponeret, non ut abiiceret. Quapropter ſcite Bernardus ad Eugen. dixit: » Aggredere ſubditos uerbo, ſed non » ferro. quid uſurpare gladium tentas, quem » iuſſus es mittere in uaginam? & primæ ad Timoth. cap. III. Epiſcopum oportet non eſſe percuſſorem. item: Miniſter noui teſtamenti, miniſter eſt manſuetudinis, & ſacramenti unitatis, cum altaris ſacramentum unionem repreſentet Chriſti & eccleſiæ, quam ſignificat animæ unio cum corpore: & ſicut anima corpus uiuificat, ſic Chriſtus per huiuſmodi ſacramentum, eccleſiam. Et ideo materialis gladii uſus, qui animam diuidit à corpore, penes unitatis miniſtrum eſſe non debet. Hinc eodem loco dixit Bernard. » Gladium materialem habet Papa nutu, Im- » perator iuſſu, miles uſu uel manu. Quod

etiam innuit extrauag. Vnam ſanctam; cum
» dixit: Vterque, ſpiritualis ſcilicet gladius,
» & materialis, in poteſtate Petri eſt: ſed is
» pro eccleſia; ille uero ab eccleſia exercen-
» dus: ille ſacerdotis; is manu regia & mili-
» tum, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis.
Oportet tamen gladium ſub gladio eſſe, &
temporalem poteſtatem ſubiici ſpirituali.
nam (ut apoſtolus dicit) Non eſt poteſtas,
niſi à deo. ſed ſubiicit: Quæ autem à deo
ſunt, ordinata ſunt.

Quôd ſi dicatur: ad quid ergo ualet iſta
maioritas, & prærogatiua ſummi ſacerdotis,
ſi perturbare nequit, aut non debet ſecularis
principis iuriſdictionem? ut in c. Si Impera
tor. & in c. Cum ad uerum. XCVI. diſt. c.
Nouit. de iud. c. Cauſam. qui fil. ſint legit.
& ipſe Chriſtus uſum interdixerit, cum man
dauit Petro, ut gladium reponeret? reſpon-
10 detur, reponendum quidem, ſed non abii-
ciendum, ſed quandoque reſumendum: pri
mo ut Imperatorem, aut alium quemuis re-
gem & principem, ſi ſe tyrannum, perturba
torem, rebellem, aut hoſtem eccleſiæ præ-
ſtiterit; deponat, alio eius loco ſuffecto:
quod legimus quandoque factum. Secundo
utilis eſt, quoniam poteſt ſummus pontifex
in arduis negociis, & maximis difficultati-
bus, imminente ſcandalo, hac uti poteſta-

te, & iurisdictione sibi à deo tributa: ut in c. Pro humani. de homicid. lib. VI. Clemen. Pastoralis. de re iudic. c. Alius. XV. q. VI. c. Venerabilem. de elect. quemadmodum Christus cum facto ê funiculis flagello, de templo eiecit ementes & uendentes, quòd res illa scandalo foret, & prohibere ad decorem ecclesiæ pertineret. Si modo eorum sequimur sententiam, tunc usum temporali iurisdictione, non autem Ostiarii officio: quibus astipulatur Innocen. in c. Super his. de uoto; cum inquit, quòd ubi deest necessitas, habent locum iura generaliter loquentia summum pontificem spiritualibus, Imperatorem temporalibus præesse.

11 Ex his subsequitur, recipiendam esse illam allegoricam interpretationem de duobus gladiis, ut scilicet intelligamus Petro & successoribus utriusque gladii datam potestatem, spiritualis scilicet, & terreni. alias uero interpretationes potius laudandas putamus, quàm admittendas: qualis fuit illa Chrisostomi, & Theophilacti; qui mystice interpretantur gladios, pro animi fortitudine: quòd scilicet non agnoscentes discipuli uim præcepti domini, cum mandauit, ut diuendito pallio gladios emerent, duos ferreos gladios attulere: dominum uero, cum cerneret discipulos non posse à corporeis &



carnalibus discedere, dixisse, satis est: quasi diceret: de his in præsentia satis, aliud agamus; & statim in montem oliueti ascendisse. Et quod alii pro gladio uerbum dei intellexere, quod penetrabilius sit omni gladio ancipiti: nec non quod Ambrosius interpretatus est, duos gladios significasse discipulis, gladiorum usum etiam pro defensione usque ad euangelium licitum fuisse, post euangelium non licere: atque ideo dixisse, satis est. quodq; adiungit duos esse gladios, congruentes euangelio, unum spiritualem, eripientem ea, quæ circa nos sunt, cum uendere omnia iubemur, & dare pauperibus: alium corporeum, uitam hanc etiam ipsam nobis auferentem, quam nos pro Christo deponere debemus non inuiti, ut multo beatiorem assequamur. quodq; alii dixere, duos gladios fore duo testamenta, nouum & uetus, quibus, uelut duobus gladiis, armamur aduersus diaboli insidias. Cum his annumeramus interpretationem nunquam satis laudati uiri, Iacobi Car dinalis Sadoleti, qui interpretatus est, dominum uoluisse tempore passionis adesse gladios, ut causam aliquam præberet, qua ueluti iure inter iniquos posset connumerari; præuidens, si ad eos cœtus nocturnos, quos frequentes habebat, gladii in suo

comitatu reperirentur, Scribas & Pharisæos probabiliter apud plebem & præsidem calumniam ei adornaturos. Ridiculum autem existimamus, quod alii dixere ironice dictum, satis esse; quasi diceret: nempe duobus gladiis cohortem armatam deterrebimus? & quod alii somniauere, quæsitos gladios, ut daretur locus miraculo sanandæ auriculæ: quasi & prius quamplura miracula non ediderit: & si eo temporis uoluisset, non defuissent aliæ occasiones: quæ etiam extitere. nam & miracula edidit: ut cum interroganti quem quærerent, respondentes Iesum Nazarenum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

12 Quòd autem Pilato iactanti suam in Christum dominum potestatem responderit, nullam in se potestatem habiturum fuisse, nisi ipsi datum esset desuper; non indicat Pilati potestatem in Christum Iesum, nec potestatem à deo habuisse: sed ipsum Christum pati, quia uoluit, non quia ille huiusmodi potestatem in se haberet; quasi innuens: non haberes, Pilate, quam iactas in me potestatem, nisi uellem, nisi à me & patre ea tibi permitteretur, nisi desuper concederetur, ut ea uti posses.

Quamuis autem ex prærogatiua, quæ à Christo data est Petro, Rom. pontifici obe-

dientia debeatur: non propterea peccant, nec hæretici cenſendi ſunt, qui primatum hunc non agnoſcunt, ſi id fecerint nec malo, nec pertinaci animo: quoniam ſimplicitas eos excuſabit, quòd non aduerterint, uel obedientiam ab eis non exegerit Rom. pontifex. ſicut non peccarunt Corinthii, quòd uictum, diuino iure Paulo debitum, non præſtiterint, cum non exegerit Paulus: quem ſi exegiſſet, & præſtare recuſaſſent, aut quiſpiam non præſtandum docuiſſet, plane peccaſſent.

Quòd etſi Petrus, & eius ſucceſſores, in uniuerſum orbem ſua non fungantur auctoritate, & iuriſdictione, quòd plures ſint prouinciæ, & populi plures, qui eccleſiæ Romanæ nec obediunt, nec illius agnoſcunt ſuperioritatem: non propterea ſubſequitur, non recepiſſe à domino plenam in omnes auctoritatem, nec impletum quod à propheta prænunciatum fuerat de apoſtolis: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in omnes fines terræ uerba eorum. quoniam etſi hucuſque impletum non ſit, implebitur tamen, & fiet quandoque unum ouile, & unus paſtor: omnia Chriſto ſubiicientur: & ſicubi euangelium prædicatum hucuſque non fuit, prædicabitur tamen: fientq; reliquiæ Iſrael ſaluæ, & gentes omnes conuertentur ad Chri-
13 ſtum. Qui autem à Romani pontificis obe

dientia malo prauoq; animo se subtrahunt, ex sententia D. Thomæ nihil magis ad ecclesiam orthodoxorum pertinent, quàm Arrianorum, aut Donatistarum ecclesiæ, quæ Sathanæ potius conciliabula dicendæ sunt, quàm ecclesiæ Christi. Qui tamen simpliciores nunquam de hac re disceptatum audierunt, nec edocti, implicite crediderunt cuncta, quæ Christus docuit, libenter hanc ueritatem suscepturi, si fuisset eis prædicata, non facile sunt condemnandi.

Romano pontifici nedum debitam, sed etiam præstitam fuisse obedientiam ab episcopis, principibus, & sacris concilijs. Cap. XVII.

CONSEQVENS est, ut doceamus ex antiquorum patrum monimentis, ab exordio nascentis ecclesiæ, continuata plurium seculorum serie, non solum ab episcopis orientis, & occidentis, sed à principibus, regibus, & ab ipsis Imperatoribus, ac etiam à sacris conciliis Rom. pontifici præstitam obedientiam, & reuerentiam. Et in primis citemus Eusebium, & Tripart. histor. scriptores, qui de orientis episcopis scribentes, memoriæ prodidere, Athanasium ad Marcum Rom. pontificem scribentem, conquestum fuisse de uiolentia Arria-

norum, quòd, ablatis ei omnibus bonis, etiam libros, & Nicenam Synodum, qua clerus & populus imbuebatur, eripuissent: postulasse, sibi transmitti LXX illius synodi capitula, per Victorem & Vincentium presbyteros apostolicæ sedis apochrysarios missa: implorantemq́; in auxilium, Rom. sedis auctoritatem, eam uocasse matrem, & caput omnium ecclesiarum: quodq́; cum ab Arrianis Alexandria pulsus, Romam ad Iulium pontificem confugisset, Eusebius Nicomedieñ. eiusq́; consortes legationem miserunt ad Iulium, calumnias in Athanasium factas referentes: qui ecclesiasticam sequens regulam (ut eius uerbis utamur) etiam ipsis Romam uenire, præcepit: & uenerabilem Athanasium etiam ad iudicium regulariter euocauit: quodq́; ille continuo euocatione suscepta uenit: calumniarum uero farcinatores Romam non accessisse, scientes facile suum posse capi mendacium. hæc Tripart. histor. lib. IIII. cap. VII. capite uero XV. habetur: Athanasius relinquens Alexandriam, Romam profectus est. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum, Constantinopolitanum pontificem, illic unà concurrere, & Marcellum Anyræ, Asclepiumq́ue Gazæ, qui dum Arrianis esset aduersus, inscriptionem passus ab

» his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt:
» pro quo Gazeorum eccleſia Quintiano com
» mittitur. Lucianus autem, Adriapolitis epi
» ſcopus, ob aliam occaſionem eccleſia ſua pri
» uatus, degebat in urbe Romana. Cognoſcens
» igitur Romanus epiſcopus, ſingulorum cri-
» mina, & omnes Niceno concilio concordare
» comperiens, eos in communionem ſuſcepit:
» tăquam omnium curam gerens, propter ſe-
» dis propriæ dignitatem: ſingulisq́; reddidit
» ſuas eccleſias, & orientalibus ſcripſit epiſco-
» pis, culpans quia non recte tractaſſent uiros
» inculpabiles, de ſuis eccleſiis eos expellentes:
» & quòd conſtituta Niceni concilii minime
» conſeruaſſent: quorum paucos ad certum
» diem ſibimet adeſſe præcepit, ut coram eis
» oſtenderet, iuſtum ſe ſuper eis protuliſſe de-
» cretum: & de cætero non ſe paſſurum inter-
» minatus, niſi ab huiuſmodi turbis & nouita-
» tibus ceſſaſſent.

Ex comminatione etiam orientalium epiſcoporum, quæ habetur in epiſtola, quam ad Iulium ſcripſere; conſtat eos paruiſſe Romano pontifici, cum dixere: Si uero aliter egeritis (rogabant enim, ut ratam haberet depoſitionem Athanaſii, & aliorum) & amplius eis, quàm nobis aſſentire iudicaueritis, contraria celebrabimus: & deinceps uobiſcum nec congregari, nec uobis obedire, nec

uobis ueſtriſq; fauere uolumus : ſed per nos, quicquid melius elegerimus, agere conabimur.

Quid Aegyptiorum epiſcopi? nonne in
» epiſtola ad Felicem dixere? Nec enim fas
» eſt, ſupplicum apoſtolicæ ſedis ſcripto aut
» ſine ſcripto preces oblatas deſpicere : ſed (ut
» condecet, & priuilegium ueſtræ ſedis eſt) &
» nos, & illi canonicaliter conuocemur : & an-
» te uos de noſtris obiectionibus cum omni
» probitate concertemus : ſicut prædeceſſores
» noſtri penes ueſtros fecerunt anteceſſores, &
» ſicut canonica in dicta ſancta ſynodo docent
» inſtituta. & infra : Scimus, ut ſemper ue-
» ſtræ ſedis præſules, primo apoſtoli, deinde
» ſucceſſores eorum fecerunt, uos uniuerſalis
» eccleſiæ, & maxime epiſcoporum, qui ocu
» li propter contemplationem, & ſpeculatio-
» nem uocantur, domini curam gerere.

2 Item plane colligitur ex eo, quòd conſueuerunt Theſſaloniceñ. epiſcopi eſſe Rom.pontificum in oriente legati, & quandoque poſt eos Conſtantinopolitañ. & Alexandriñ. epiſcopi. De Theſſaloniceñ. habemus epiſtolam LXXXII. Leonis ad Anaſtaſium, Theſſalonicenſem epiſcopum, his uerbis :
» Quanta fraternitati tuæ à beato Petro com-
» miſſa ſunt, & qualia etiam noſtro fauore pon
» derantes multum poſſemus de iniunctæ tibi

» ſolicitudinis deuotione gaudere. quoniam ſi
» cut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis,
» ita etiam ego dilectioni tuę, priorum ſequens
» exemplum, uices mei moderaminis delega-
» ui: ut curam, quam uniuerſis eccleſiis princi
» paliter ex diuina inſtitutione debemus, imita
» tor noſtræ manſuetudinis adiuuares: & lon-
» ginquis ab apoſtolica ſede prouinciis, præſen
» tiam quodammodo noſtræ uiſitationis inten
» deres. & reliqua. Quòd autem Conſtantino
politan. & Alexandrin. epiſcopis huiuſmo-
di data fuerit auctoritas, oſtendunt Simplicii
ad Achatium Conſtantinopolitan. & Boni-
facii ad Eulalium Alexandrin. epiſcopos, &
aliorum ad alios datæ epiſtolæ; ea ſcilicet ra
tione, ne aut illis tam longe diſtantibus eccle
ſiis deeſſet cura, aut illæ è tam longinquo ad
Rom. ſedem tam ſæpe uenire cogerentur.

Conſentit cum his epiſtola beati Celeſtini
ad Venereum, alioſq; Galliarum epiſcopos,
» aduerſus Pelagianos, qua atteſtatur: pluri-
» mos fuiſſe tunc toto orbe orthodoxos epiſco
» pos, anathematizantes Pelagium, & Celeſti
» num, ſecundum apoſtolicæ ſedis in eos iudi-
» cium: uehementer tamen improbantes eorũ
» ſtudium, qui aduerſus eorum errores multis
» uoluminibus diſputarunt: re ipſa experti ad-
» uerſus hæreticos non inutilem ſolum, uerũ
» etiam pernicioſam eſſe de ſcripturis collucta-

» tionem : quin potius abſque aliqua diſputa-
» tione ſimpliciter omnes ſequi oportere, quæ
» ſacratiſsimi beati Petri, apoſtolorum princi-
» pis, ſedes contra inimicos gratiæ deiſanciuit,
» & docuit per ſuorū præſulum miniſterium.

3 Eandem auctoritatem oſtendit, quòd legimus Neſtorium, Conſtantinopolitañ. epiſcopum, duas perſonas in Chriſto ponentem, à Celeſtino monitum infra certum temporis ſpacium ſanæ fidei libellum porrigere, ſeq́; hæreſeos ſuſpicione liberare; non obſequentem, anathematis maledictione irretitum, à domo eccleſiaſtica eiectum : receptamq́; & approbatam hanc ſententiam ab uniuerſa Epheſina ſynodo: & ab ea damnatū Neſtorium cum ſuo impio dogmate : idemq́; eueniſſe Euthyci Archimandritę, duas perſonas, humanam & diuinam, confundenti in domino noſtro Ieſu Chriſto, eius humanitate negata; à Leone dãnato : approbatamq́; Leonis ſententiam à Chalcedoneñ. concilio.

3 De Conſtantinopolitana eccleſia, quòd ſubdita ſit Rom. pontifici, habemus text. in c. De Conſtantinopolitana eccleſia. XXII. diſt. & in auten. de eccleſ. tit. in princ.

Conſulto omittimus recitare priorum illorum Romanorum pontificum teſtimonia: ne culpent nos, qui ſe ſubduxere ab obedientia Rom. pontificis, quòd eos in teſtes

admittamus, in aſſerenda Rom. pontificis auctoritate: & ſi uitæ ſanctitate, & martyrio plane docuerint, tantum carere debere omni ſuſpicione, quantum longe abfuere ab omni ambitione, faſtu, & mendacio. Qui tamen ea legere concupierit, uideat tomo primo conciliorum, epiſtolam primam Victoris Papæ ad Theophilum epiſcopum: Fabiani epiſtolam ſecundam ad orientales epiſcopos: primam Stephani primi, & ſecundam ad Gratum epiſcopum. item epiſtolam ſecundam Xyſti, inſcriptam fratribus per Hiſpaniarum prouincias conſtitutis: Dionyſii ſecundam ad Seuerum epiſcopum: Felicis primi epiſtolam primam, Syritii ad Himerium Tarraconeñ. epiſcopum. Inſuper ut recentiores prætereamus, Damaſi ad Theophilum Alexandriñ. Simplicii epiſtolam ſecundam ad Ioannem Rauennateñ. epiſcopum, & Theodori Cæſareæ Cappadociæ epiſcopi à Vigilio pont. damnationem.

4 At Romanorum Imperatorum teſtimonia non præteribimus. Gratianus enim (ut habetur lib. IX. tripar. hiſt. cap. 11.) cupiens orthodoxæ fidei ſinceritatem, quæ priorum Imperatorum, & aliquorum epiſcoporum culpa labefactata erat, reſtituere; edixit, ut quicunque Rom. pontifici Damaſo communione & fide non ſociarentur, te-

nere non poſſent eccleſias, ſed ab eis expellerentur. edictum legitur in l. cunctos populos. C. de ſum. trinit. & fide cath.

Retium autem, Auguſtanẽ.epiſcopum, à Conſtantinopolitano Imper. ſub Silueſtro epiſcopo ob cauſam Montenſium miſſum Romam ſcribit Hieronymus, ubi de Tharſis diſputat, tomo IIII. fol. XXXIIII.

Item notatu dignum eſt, quod de Aureliano Imper. refert Euſebius Cæſarieñ. lib. VII. cap. XXVII. eccleſiaſt. hiſt. his uerbis: Domino igitur in epiſcopatu ſurrogato, Paulus & ſacerdotio abſciſſus, & communione, cum de domo eccleſiæ nollet exire; interpellatus Imper. Aurelianus religioſe ſatis de hoc ſanctéq; decernit, his præcipiens eccleſiæ domum tradi, quibus Italiæ ſacerdotes, & Romanus epiſcopus ſubſcriberent.

5 Inſuper principes paruiſſe Rom. pontifici, colligitur ex eo, quòd etiam ante conceſſam auctoritatem principibus Germanis eligendi Imperatorem, Imperatores Rom. præſtabant eccleſiæ Romanæ fidelitatis iuramentum: ut de Ottone primo habetur in c. Tibi domino. LXIII. diſt. quodq; cum inter Henricum VII. & Robertum Siciliæ regem graues ortæ forent contentiones, & bella; cupiens Clemens V. pacem inter eos conciliare, utrique ſcripſit, quòd cum eſſent

Romanæ ecclesiæ specialissimi filii, sibiq́; iuramento fidelitatis, & aliter multipliciter astricti, sua arma non in mutuam perniciem, sed in communis matris defensionem conuerterent. Henricus malo ductus consilio, ægre ferens quòd in literis de fidelitatis iuramento dicebatur, quasi hoc ad maiestatis suę derogationem pertineret, accitis tabellionibus palam contestatus est, se nulli fidelitatis iuramento astrictum: quo tamen non obstante Clem. v. declarauit, quæ Rom. pontifici ab imperatore præstantur, fore fidelitatis iuramenta. Paruerunt etiam Rom. pontifici Imperii electores, cum eius mandato abrogatis ob demerita Imperatoribus, alium elegerunt. Exemplum habemus Henrici IIII. Ottonis IIII. Federici II. Henrici VII. & Ludouici Bauari. Nec Germani solum, sed Galli etiam paruerunt, & parent Rom. Pontifici: ut de Hilderico rege legimus in c. Alius. XV. q. II. à Zacharia Rom. pontifice abrogato, si modo à pontifice abrogatus fuit: non autem solum à iuramento datam proceribus absolutionem, ne tenerentur fidelitatis iuramento, eoq́; non obstante possent alium regem eligere. Extat etiam Emanuelis, Constantinopolitani Imperatoris, exemplum, qui summis precibus ab Alex. III. impetrare contendit, ut diuisum redin-

tegraret imperium, translato in eo Federici ab eo abrogati occidentali imperio. quod mi nime procuraſſet, ſi auctoritatem Romani pontificis non agnouiſſet. etſi ſpe fruſtratus fuerit, reſpondente Alex. ſe nolle in unum coniungere, quod eius maiores ex induſtria diuiſiſſent. Alter etiam Emanuel Conſtantinopolitañ. Imperator, imperii confirmationem à Gregorio X. in Lugduneñ. concilio recepit.

Maiores cauſas ad Romanam & apoſtolicam ſedem referendas. Cap. XVIII.

QVOD autem maiores cauſæ ad Romanam & apoſtolicam ſedem referendæ ſint, inductum fuit ex eo, quod habetur Exod. XVIII. ubi mandatum fuit Moyſi, prouideret de omni plebe uiros ſapientes, ac deum timentes, in quibus eſſet ueritas, & odiſſent auaritiam; qui iudicarent populum omni tempore. quicquid autem maius foret, referretur ad Moyſem, perinde maiorem: & ipſi tantum minora iudicarent. & ex eo quod habetur Deuter. I. ubi inquit Moyſes: Si difficile uobis uiſum aliquid fuerit, referte ad me: & ego audiam. Quod etiam plurimorum teſtimonio comprobatur. & primo Anacleti, Petri diſcipuli, & ſucceſſoris, epiſtola prima decernentis,

» quòd ſi difficiliores quæſtiones ortæ fuerint,
» aut epiſcoporum, uel maiorum iudicia, aut
» maiores cauſæ fuerint, ad maiorem ſedem re
» ferantur, ſi appellatum fuerit: quoniam apo
» ſtoli hoc ſtatuerunt iuſsione ſaluatoris.

Item Euariſtus ea epiſtola, qua reſpondet
conſultationibus epiſcoporum Africæ, his
» uerbis: Conſulentibus uobis, fratres cha-
» riſsimi, quid ſuper his, quæ in ueſtris con-
» tinebantur ſcriptis, uiſum nobis eſſet, uel
» quid docibilis ratio perſuaderet, aut quid à
» beatis apoſtolis nobis traditum, aut cuſtodi-
» tum remaneret; optantes (ut retuliſtis) no-
» ſtris inſtitui documentis, hæc uobis reſcribi-
» mus. ſi quidem dilectio ueſtra, normam ſe-
» cuta prudentium, ad ſedem apoſtolicam re-
» ferre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de
» rebus cuſtodire potius, quàm uſurpatione
» præſumere.

Alexander primus, eius ſucceſſor, epiſto
la prima ad omnes orthodoxos, per diuerſas
» prouincias Chriſto famulantes, inquit: Re-
» latum eſt ad huius ſanctæ & apoſtolicæ ſedis
» apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cau-
» ſarum, & omnium negocia eccleſiarum ab
» ipſo domino tradita ſunt; quaſi ad caput: ip
» ſo dicente principi apoſtolorum Petro: Tu
» es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo
» eccleſiam meam. quod quidam æmuli Chri

» ſti, eiusq; ſanctæ eccleſiæ inſidiatores, ſacer-
» dotes dei ad iudices publicos accuſare præſu
» mant: cum magis apoſtolus Chriſtianorum
» cauſas ad eccleſias deferri, & ibidem termi-
» nari præcipiat. & habetur in c. Relatum.
XI. quæſt. I.

Idem teſtatus eſt Zepherinus, his uerbis:
» Iudicia epiſcoporum, maioresq; eccleſiæ
» cauſæ à ſede apoſtolica, & non ab alia (ſicut
« apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorum ſtatue-
» runt) cum aliis epiſcopis ſunt terminandæ:
» quia licet in alios transferantur epiſcopos,
» beato tamen apoſtolo Petro dictum eſt:
» Quæcunque ligaueris ſuper terram &c. &
habetur in c. Ad Romanam eccleſiam. II.
quæſt. VI.

Deinde Xyſtus II. in epiſtola ad Gratum epiſcopum, teſtatur diſpoſitioni apoſtolicæ ſedis omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, & epiſcoporum iudicia antiquam apoſtolorum, eorumq; ſucceſſorum, atque canonum auctoritatem reſeruaſſe. & habetur in c. Omnes epiſcopi. II. q. VI. licet ſub nomine Gregorii.

Poſt eum Felix epiſtola II. inquit:
» Semper dubia & maiora negocia terminum
» ab hac ſancta ſede à tempore apoſtolorum,
» qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, acci-
» pere conſueuerunt.

Item Marcellus ad episcopos Antio-
» chensis prouinciæ, testatur non oportere à
» dispositione sanctæ Romanæ ecclesiæ de-
» uiare, ad quam cuncta maiora negocia ec-
» clesiastica, diuina disponente gratia, iussa
» sunt referri: ut ab ea canonice disponan-
» tur. & habetur in c. Rogamus. XXIIII.
quæst. I.

Si tædet lectorem legere Romanorum pontificum decreta, ut qui adducantur testes in causa propria, legat epistolam Aegyptiorum episcoporum ad Felicem Papam, cum inquiunt:
» Pater beatissime,
» quia semper antecessores nostri, & nos à
» uestra apostolica sancta sede auxilium hau-
» simus, & nostri uos curam habere cogno-
» uimus, præfatam apostolicam, & sum-
» mam expetimus, iuxta canonum decreta,
» sedem, ut inde auxilium capiamus, unde
» prædecessores nostri ordinationes, & dog-
» mata, atque subleuationes ceperunt: ad eam
» quoque, quasi ad matrem recurrimus, ut
» eius uberibus nutriamur. Quoniam non
» potest mater obliuisci infantem suum: sic
» & uos nolite obliuisci nos uobis commis-
» sos: quoniam non leuibus nos inimici no-
» stri implicauerunt, & quotidie facere mo-
» liuntur, afflictionibus, & apprehendere, aut
» ferris nos constringere minantur; nisi nos

» eorum consentiamus erroribus. quod ne-
» quaquam uobis inconsultis agere præsumi-
» mus, canonibus quippe iubentibus, absque
» Romano nos de maioribus causis nihil de-
» bere decernere pontifice.

Legat etiam epistolam Stephani archiepiscopi, & trium conciliorum Africæ, ad
» Damasum Papam, in qua habetur: No-
» tum uestræ facimus beatitudini, quòd qui-
» dam fratres, in confinio nobis positi, quos-
» dam fratres nostros, uenerabiles uidelicet
» episcopos, uobis inconsultis â proprio de-
» iiciunt gradu, & deiicere moliuntur: cum
» uestræ sedi episcoporum iudicia, & sum-
» morum finem ecclesiasticorum negocio-
» rum, in honorem beatissimi Petri, pa-
» trum decreta omnium cunctam seruare sen-
» tentiam inquirendi reuerentia de dei re-
» bus, quas omni cura, & solicitudine ob-
» seruare debemus; maxime uero ab ipso
» debent præsulum examinari uertice apo-
» stolico; cuius uetusta solicitudo est, tam
» mala damnare, quàm releuare laudanda.
» Antiquis enim regulis sancitum est, ut quic-
» quid horum, quamuis in remotis agere-
» tur prouinciis, non prius tractandum,
» uel accipiendum sit, nisi ad notitiam al-
» mæ sedis uestræ fuisset pronunciatum, fir-
maretur.

In responsione autem eiusdem Damasi, ad eundem Stephanum archiepiscopum, habetur: » Discutere episcopos, & summas ecclesiasticorum negociorum causas, metropolitanis unà cum omnibus suis prouincialibus, ita ut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negociis, licet: sed definire eorum, atque ecclesiasticarum summas querelas causarum, uel damnare episcopos, absque huius sanctæ sedis auctoritate nemini licet.

Recte igitur ab Innocentio decretum est: » Quoties fidei ratio uentilatur, arbitror omnes fratres, coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest, sui nominis & honoris auctoritatem referre debere: ueluti nunc retulit uestra dilectio, quòd per totum mundum posit ecclesiis omnibus in commune prodesse. & habetur in c. Quoties. XXIIII. q. I. & Pelagius idem testatur, cum dixit: Maiores uero & difficiliores causæ, & quæstiones (ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit) ad apostolicam sedem sunt referendæ. & habetur in c. Multis. dist. XVII.

Propterea etiam Gregor. rescripsit: Nulli » dubium esse, non solum pontificalem accusationem, sed omnem sanctæ religionis relationem, ad sedem apostolicam, quasi ad

» caput ecclesiarum, debere referri: & inde nor
» mam accipere, unde sumpsit exordium: ne
» caput institutionis uideatur omitti: cuius au
» ctoritatis sanctionem tenere debeant sacerdo
» tes, qui nolunt ab apostolicæ petræ solidita-
» te diuelli. & habetur in c. Præceptis. XII.
dist. cui concordat c. Maiores. de baptis.

Licitum est omnibus ad apostolicam sedem appellare. *Cap.* XIX.

QVOD deinde polliciti sumus, pro asserenda Romani pontificis auctoritate, licere omnibus ad sedem apostolicam appellare; deducitur ex Xysti pri-
» mi epistola II. his uerbis: Si quis uestrum
» pulsatus fuerit aliqua aduersitate, licenter
» hanc sanctam & apostolicam appellet se-
» dem: & ad eam, quasi caput, refugium ha-
» beat. & habetur in c. Siquis uestrum. II.
quæst. V.

Comprobauit hoc idem Victor primus
» epistola II. his uerbis: Statutum liquet à
» tempore apostolorum, & deinceps placuit,
» ut iudicatus à comprouincialibus in aliqua
» causa episcopis, licenter appellet, & adeat
» apostolicæ sedis pontificem; qui aut per se,
» aut per uicarios suos eius retractare nego-
» cium procuret.

Zepherinus subsequitur epistola prima,

» cum inquit: Ad Romanam ecclesiam ab
» omnibus, maxime tamen oppressis, est ap-
» pellandum, & concurrendum, quasi ad ma-
» trem; ut eius uberibus nutriantur, auctori-
» tate defendantur, & à suis oppressionibus re-
» leuentur. quia non potest, nec debet ma-
» ter obliuisci filium suum. & habetur in c.
» Ad Romanam. II. q. VI.

» Item Fabianus epistola III dixit: Pla-
» cuit etiam, si episcopus accusatus appellaue-
» rit ad apostolicam sedem, id statuendum,
» quod eiusdem sedis pontifex statuerit. &
Cornelius epistola II. cum prohibet, ut
nullus sacerdotum causam suam alieno com
mittat iudicio, nisi ad sedem apostolicam fue
rit appellatum.

Habemus decretum Stephani (incertum
» an primi, uel secundi) quòd ultra prouin-
» ciæ terminos accusandi licentia non progre-
» diatur: sed omnis accusatio intra prouinciam
» audiatur, & à comprouincialibus termine-
» tur: nisi ad apostolicam sedem appelletur.
Registratum III. quæstio. VI. c. Vltra
prouinciæ.

Item Xystus secundus ad Gratum episco
» pum rescripsit: Dudum à multis episco-
» pis constitutum erat; & modo ad uestrum,
» & cæterorum fratrum auxilium est denuo
» roboratum; ut omnes episcopi, qui in qui-

» busdam grauioribus pulsantur, uel crimi-
» nantur causis, quoties necesse fuerit, libe-
» re apostolicam appellent sedem: atque ad
» eam, quasi ad matrem, confugiant. &
» habetur in c. Omnes episcopi. II. quæ-
» stio. VI.

In secunda epistola Marcelli Papæ ad
» Maxentium legitur: Synodum, absque
» huius sanctæ sedis auctoritate, episcopo-
» rum (quamuis quosdam episcopos possitis
» congregare) non potestis regulariter face-
» re: neque ullum episcopum, qui hanc ap-
» pellauerit apostolicam sedem, damnare,
» antequam hinc sententia finitiua procedat.
& habetur in c. Synodum. XVII. distin-
ctione.

2 Qui uero decreta Rom. pontificum ne-
glexerit, legat decretum Sardicensis concilii,
capite tertio, his uerbis: Osius episcopus
» dixit, quòd si aliquis episcopus adiudica-
» tus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam
» causam habere, ut iterum iudicium renoue-
» tur, si uobis placet, sancti Petri memoriam
» honoremus; ut scribatur uel ab his, qui e-
» xaminauerunt, uel etiam ab aliis episco-
» pis, qui in propinquo morantur, Roma-
» no episcopo: & si iudicauerit renouandum
» esse iudicium, renouetur, & det iudices: si
» autem probauerit talem causam, ut ea non

» refricentur, quæ acta sunt, decreuerit; con-
» firmata erunt. & habetur in c. Osius. II. quæst. IIII.

Item cap. v. subiicitur: Gaudentius epi-
» scopus dixit: Addendum est, si placet, huic
» sententiæ, quam plenam sanctitate protuli-
» stis; ut cum aliquis episcopus depositus fue-
» rit, eorum episcoporum iudicio, qui in uici-
» nis commorantur locis, & proclamauerit a-
» gendum sibi negocium in urbe Roma, alter
» episcopus in eadem cathedra post appella-
» tionem eius, qui uidetur esse depositus, om-
» nino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudi
» cio Rom. episcopi determinata.

Deinde cap. VII. habetur: Osius episco
» pus dixit: Placuit autem, ut si episcopus ac-
» cusatus fuerit, & iudicauerint congregati epi
» scopi regionis ipsius, ut de gradu suo eum
» deiecerint; si appellauerit qui deiectus est, &
» confugerit ad episcopum Romanæ eccle-
» siæ, & uoluerit se audiri: si iustum putauerit,
» ut renouetur iudicium, rescribere his episco-
» pis dignetur, qui in finitima & propinqua
» prouincia sunt: ut ipsi diligenter omnino re-
» quirant, ut iuxta fidem ueritatis definiant.
» Quòd si is qui rogat causam suam iterum au
» diri, deprecatione sua mouerit Rom. episco
» pum, ut è latere suo presbyterum mittat;
» erit in potestate episcopi, quid uelit, & quid

» existimet . et si decreuerit mittendos esse,
» qui præsentes cum episcopis iudicent, haben
» tes eius auctoritatem, à quo destinati sunt;
» erit in suo arbitrio. Si uero crediderit episco-
» pos sufficere, ut negocio terminum impo-
» nant, faciet quod sapientissimo iudicio iu-
» dicauerit.

3 Relatu dignum est, quod in sexta Africani synodo legitur, missos in Africam à Zozimo pontifice Rom. Philippum & Asellum presbyteros, ob id, quòd quidam Africanus presbyter, Faustinus nomine, inibi damnatus, prouocauerat ad Rom. pontificem. mandatum hi Zozimi obtulerunt; in quo habebatur, statutum fuisse à Nicena synodo, posse à sententia episcopi sui presbyterum, & episcopum à sententia synodi prouocare ad Romanum pontificem. Carthaginen. episcopus ob eam causam scripsit Cyrillo, episcopo Alexandrin. & Attico, Constantinopolitan. ut ei mitterent integra & incorrupta decreta Nicenæ synodi. Miserunt illi XX canones, qui extant; in quibus nulla de ea re fit mentio: quibus acceptis noluerunt Carthaginen. admittere prouocationem illius Faustini presbyteri ad Rom. pontificem: quinimo statuerunt, quòd, si quispiam prouocaret ultra mare, nec acquiesceret iudicio conciliorum Africanorum; nul-

lus in Africa ei cōmunicaret. quæ inter Africanam, & Rom. ecclesiā discordia initium sub Zozimo pont. habuit. Sub Bonifacio deinde, & Cœlestino decreta fuere, quæ dicta sunt cō tra apostolicę sedis auctoritatem. Durauit hęc rebellio usque ad Bonifacium posteriorem; sub quo Carthagineñ. ecclesia damnans decreta à prædecessoribus suis facta, Aurelio episcopo Carthagiñ. & Africæ primate; Bonifacio Rom. pont. se submisit, & ad unionem rediit.

4 His, quæ in Sardiceñ. concilio decreta sunt, consentiunt Aegypti episcopi, epistola ad Fe
» licem Papam, referentes à Nicenæ synodi pa
» tribus definitum consonanter, ut si quisquam
» episcoporum, aut Metropolitan. aut compro
» uinciales iudices haberet suspectos, ad san-
» ctam Rom. interpellaret sedem; cui ab ipso
» domino ligandi atque soluendi potestas spe-
» ciali priuilegio super alios est concessa. &
» paulo post: Fuit semper uestræ sanctæ &
» apostolicæ sedis licentia, iniuste damnatos,
» uel excommunicatos, sua auctoritate restitue
» re, & sua eis omnia reddere: & eos, qui il-
» los excōmunicauerunt, & condemnauerunt,
» apostolico punire priuilegio. & infra: Non
» enim fas est, supplicū apostolicæ sedis scripto
» aut sine scripto preces oblatas, despicere: sed
» (ut condecet, & priuilegium uestræ sedis est)
» & nos, & illi canonicaliter conuocemur, &

» ante uos de noſtris obiectionibus cum omni
» probitate cõcertemus: ſicut prędeceſſores no
» ſtri penes ueſtros fecerunt anteceſſores, & ſi-
» cut canonica in dicta ſynodo docent inſtituta.

5 De hoc inſtituto confugiendi ad Rom. ſedem, meminit Cyprianus lib. I. epiſtola III. contra Nouatianos, cum dixit: Poſt iſta adhuc inſuper, pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent ad Petri cathedram, atque eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & prophanis literas ferre: nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides apoſtolo prædicante laudata eſt; ad quos perfidia non poſsit habere acceſſum.

Impie negligant Rom. pontifices, qui uoluerint. non omittemus decretum Gelaſii, quod habetur in c. Ipſi ſunt canones. IX. q. III. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius eccleſiæ ad huius ſanctæ ſedis examen uoluerunt deferri: ab ipſa uero nuſquam prorſus appellari ſanxerunt. & aliud in c. Cuncta per mundum. ead. cau. & q. Cuncta per mundum nouit eccleſia, quòd ſacroſancta Rom. eccleſia fas habet de omnibus iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt: ab illa autem nemo appellare permiſſus.

Nemini licere à Romano pontifice appellare. Cap. XX.

Ex his ſubſequitur, quôd ſi omni-
bus appellare licet ad apoſtolicam
ſedem, ſiue Rom. pontificem; ne-
mini licebit à Romano pontifice ad aliquem
appellare: cum appellatio ad maiorem fiat.
§. Illo. II. q. VI. l. Præfecti. ff. de mino-
ri.l. I. §. penult. ff. de appel. Et cum ex hoc,
quòd omnibus liceat ad Rom. pontificem
appellare, conſtet ipſum omnibus ſuperio-
rem, ſubinfert Innoc. in c. Nemo. IX. q.
1 III. quòd nemo iudicabit primam ſedem,
iuſtitiam temperare deſiderantem. quæ uer-
ba: Iuſtitiam temperare deſiderantem, non
conditionem habent; quaſi, ea deficiente, li-
ceret iudicare: ſed cauſam reddunt, non lice
re iudicare, quia iuſtitiam temperare deſide-
2 rat. Nec admittendus cauillus Panormita-
ni, uerbum, nemo, excludere ſingulos, non
collectiue omnes: quoniam decretalis illa
prohibet neque ab omni clero, neque à po-
pulo iudicari. Collectiua autem nomina ſunt
clerus, & populus, ſignificantia uniuerſum
Chriſtianum populum; qui in duo homi-
num genera partitur, clerum ſcilicet, & po-
pulum c. Duo ſunt. XCVI. diſt. Nec ob-
ſtat, quòd diſtributiua nomina ex propria

ſignificatione tribui non poſſunt fidelium congregationi, quæ unica eſt, & (ut aliorum utamur uocabulo) impluríficabilis: quia dicimus quòd nomina ſiue ſigna huiuſmodi, adiecta collectiuis nominibus, qualia ſunt, domus, populus, clerus, & ſimilia, non diſtributiue ſed collectiue uniuerſum ſignificant: ſicut in ſimili dicitur: Fidelis fuit in omni domo ſua. quod exponitur, in tota domo, ſcilicet ſynagoga. Et quod habetur III. Reg. IIII. Conuertit Rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ. & illud I. Parali. XXIX. Præcepit autem uniuerſæ eccleſiæ, benedicite deo noſtro: & benedixit omnis eccleſia domui patrum ſuorum. item Mat. II. Turbata eſt cum illo omnis Hieroſolyma, ideſt, tota. Sic quod dicitur, ab omni clero, exponitur, à toto clero: ut interpretatur glo. illum locum; quæ recte colligit, quòd concilium non poteſt iudicare Papam.

Idem approbauit Symmachus, & habetur in c. Aliorum. ead. cau. & quæſt. cum di
» xit: Aliorum hominum cauſas deus uoluit
» per homines terminari: ſed ſedis iſtius præ-
» ſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio.
Si enim nemo nec primam ſedem, nec eius præſulem iudicare poteſt: utique ab eis non licebit appellare. quod comprobat Gelaſius in his, quæ paulo ante adduximus, locis,

uidelicet c. Ipſi ſunt canones. & c. Cuncta per mundum . ea cau. & quæſt.

Siquis autem obiiceret, hanc eſſe fallaciam petitionis principii, qua quis nititur probare conſequens ex antecedenti, & antecedens ex conſequenti: (præfati enim ſumus, nos probaturos Rom. pontificis ſupremam in eccleſia auctoritatem ex eo, quòd ab ipſo nemini licet appellare: & modo deducimus, ab eo appellari non licere, ex eo, quòd primam tenet ſedem, & neminem habet ſuperiorem.) reſpondemus, non eſſe principii petitionem, ſed conuerſionem quandam, quæ à dialecticis admittitur, cum quid probatum eſt ex aliquo: deinde digreſsione facta, eodemq; aliis adminiculis comprobato, circulo quodam conuertimur ad probandum quod prius pro antecedenti deſumpſimus: ut in exemplo, ab effectu deducimus cauſam; qua aliis adminiculis comprobata, regredimur ad probandum effectum per cauſam: quæ firmior eſt ratiocinatio ea, qua proceſsimus ab effectu ad cauſam: ut diſſeruit Ariſtoteles lib. primo Analyt. poſterior. cap. v.

Ad Romanum pont. ſpectat aliorum epiſcoporum electiones confirmare. Cap. XXI.

SVPEREST ex his, quæ polliciti ſumus, ut oſtendamus, Rom. pontificis munus & officium eſſe, aliorum epiſcoporum electiones confirmare. Quod primum colligitur ex epiſtola XXXI. Leonis Papæ ad Anatolium, epiſcopum Conſtantinopolitañ. ſcribit enim ſe nolle Anatolium confirmare, niſi prius ea ſe credere & tenere profiteretur, quæ in ſua ad beatum Flauianum, & Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis continebantur.

Hoc idem colligitur ex eo, quod legitur in breuiario Liberati, archidiaconi Carthagineñ. quod habetur II. tomo conciliorum, poſt quintam ſynodum, cum ſcribit,
» quòd poſt Achatium, Conſtantinopoli-
» tañ. epiſcopum, ordinatur Flauianus pre-
» sbyter, qui fuit à ſancta Tecla: & quòd is
» nõſuſtinuit ſine Rom. epiſcopo inthroniza
» ri: ſed tranſmiſit ſynodicam Papæ Rom. Fe
» lici; qui modico uiuens tempore, moritur,
» non accipiens epiſtolam ipſius. & factus eſt
» Euphemius epiſcopus, genere Alexandriñ.
» qui & ſuſcepit à Papa Romano ſcripta. Hæc
Liberatus.

Item cum Achatius, Conſtantinopoli-

tañ. episcopus, apostolicæ sedis in oriente delegatus, mortuo Timotheo, beati Procherii successore, cum orthodoxus populus Ioannem surrogasset, restitit Achatius, & Zenonis Imper. quem sibi malis artibus deuinxerat, fauore & auxilio, Petrum per apostolicam sedem damnatum restituere conabatur, Imperatori suggerens non recte damnatum. quo etiam inuito Simplicius Ioannis electionem confirmauit, qui Alexandriñ. ecclesiam obtinuit: etsi Vrbanus subadiuua Imperatoris literas Simplicio detulisset, ut in Ioannis confirmatione supersederet. Defuncto deinde Achatio, cum illi per electionem surrogatus fuisset Ioannes; egissetq; Ioannes, cum Rom. pontificibus, Gelasii successoribus, & nouissime cum Hormisda, pro electionis confirmatione: Hormisda Ioannem & scripto & nunciis monuit, ut Achatium prædecessorem suum, eiusq; acta damnaret: aliàs non daturum confirmationem, nec eum inter catholicos episcopos habiturum: qua in re Imperatoris metu uel parere noluit, at certe distulit. Sed Anastasio Imperatore iusto dei iudicio perempto, Iustinus successor per legatos Hormisdæ, et apostolicæ sedi debitam præstitit obedientiam, & reuerentiam: ad quem Rom. pontifex uicissim legatis destinatis, conditiones

præſcripſit, quibus Conſtantinopolitañ. eccleſia, & Ioannes epiſcopus cum Romana conuenirent: quibus receptis data eſt Ioanni confirmatio, & ſecuta prius diſsidentium eccleſiarum reconciliatio.

At beatus Gregor. de Maximo, ſine apoſtolicæ ſedis auctoritate ordinato Salonitañ. eccleſiæ epiſcopo, ad Conſtantinum Aug. in hæc uerba reſcripſit: Salonitañ. eccleſiæ epiſcopus, me ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt: & facta eſt res, quæ ſub nullis anterioribus principibus euenit. & habetur in c. Salonitañ. LXIII. diſt.

2 Quamuis autem olim Rom. pontificis, & aliorum epiſcoporum electiones, ex apoſtolicæ ſedis priuilegio ab Imperatore confirmarentur, propter hæreticorum & ſchiſmaticorum diſsidia & contentiones; quibus ſæpe periclitabatur eccleſia: & cum apud eos parum prodeſſent eccleſiaſticæ cenſuræ; catholicorum principum prouidebat auctoritas. Verum cum Imperatores, & eorum in Italia uices agentes, quos exarchas uocabant, conceſſo abuterentur priuilegio: & qui opitulari debuiſſent electioni Rom. pontificis, illi erant impedimento: quin etiam quandoque minus idoneos intrudebant; opus fuit eorum auctoritatem præterire. Qua etiam ratione Conſtantinus IIII. ſponte priuile-

gio renunciauit. Innouato autem deinde priuilegio ab Adriano pont. qui Carolo Imperat. concesſit ius & poteſtatem eligendi pontificem, & ordinandi apoſtolicam ſedem, ut habetur in c. Adrianus. LXIII. diſt. cum Adrianus II. ſine præſentia & aſſenſu oratorum Ludouici Imperat. in pontificem foret electus, etſi ægre tulerint eius oratores, Ludouicus tamen ſponte priuilegio renunciauit: & ea occaſione ab Adriano decretum, ut deinceps nullus laicorum principum, uel potentum, ſeſe electionibus ingererent epiſcoporum, ne inordinata, & incongrua fieret electio, ut habetur in c. cum Adrianus. & in c. Nullus laicorum LXIII. diſtinct. & idem innouatum in octaua ſynodo. At cum poſtea ſimile priuilegium conceſſum fuiſſet Othoni primo à Leone VIII. & illius ſucceſſores priuilegio abuterentur, eaq́; occaſione etiam poſtquam Imperatores priuilegio renunciarunt, inter Henricum IIII. & Rom. pontifices Alexandrum II. & Gregorium VII. graues ortæ eſſent diſſenſiones, & plurium annorum perniciosum ſchiſma ſubſecutum, coactus eſt idem Henricus prætenſo priuilegio renunciare, & ab inueſtituris epiſcoporum, quas per tranſmisſionem anuli, & baculi paſtoralis faciebat, abſtinere. Quod priuilegium cum

Henricus V. eius filius, per dolum Paschali II capto, innouari extorsisset; idem Paschalis habito ad Lateranum concilio, priuilegium illud irritum, & ui extortum declarauit. Nec desistens Henricus priuilegio abuti, & ea occasione aliud schisma excitasset, Gelasio Paschalis successore pulso, & Antipapa intruso, tandem à Germanorum conuentu vviçemburg habito coactus est pacem ecclesiæ dare; & prætenso priuilegio renunciare.

4 Quamuis etiam Imperatores quandoque ex priuilegio apostolicæ sedis, ius habuerint confirmandi electionem Rom. pontificis: non tamen ea confirmatione, qua datur ius & potestas administrandi: quæ illa est, quæ superioritatem designat: cum eam habeat Rom. pontifex ex sola electione, nec alia egeat confirmatione. c. In nomine domini. XXIII. dist. sed ea confirmatione, qua robur tribuitur ex aliorum approbatione. quemadmodum dicimus integrum iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. c. extra LXIIII. dist. Imperatores enim sua approbatione robur & firmitatem tribuebant electioni; propter quam non auderent schismatici & hæretici contradicere, aut turbas, & seditiones excitare. Quæ confirmatio nullam unquam tribuit superiorita

tem, nec ex ea ſubſequitur, quandoque Imperatores ſuperiores fuiſſe Romanis pontificibus.

Romanum pontificem maiorem & ſuperiorem fore generali concilio. Cap. XXII.

1 QVI minus detrahunt ſupremæ auctoritati Romani pontificis, fatentur eum præferri ſingulis particularibus eccleſiis, ſed non uniuerſali eccleſiæ, & generali concilio illam repræſentanti; generali concilio tribuentes iuriſdictionem & poteſtatem ſupra Roman. pontificem: inter quos fuit Abbas Panormitañ. in tract. de poteſtate concilii & Papæ, cuius initium eſt, Quoniam ueritas. qui interpretatus eſt quod dicitur in c. Conſiderandum. L. diſt. de Petro, quem Christus cunctæ eccleſiæ præferre conſtituerat; ideſt, cunctis eccleſiis particularibus: & quod habetur in c. Petrus II. q. VII. Petrum poteſtatem regni accepiſſe; quoad particulares eccleſias, non autem quoad uniuerſalem eccleſiam, quæ corpus eſt myſticum, cuius caput eſt Chriſtus. ſimiliter illud quod habetur in c. Beati eadem II. q. VII. quòd meritis apoſtolorum Petri & Pauli, Romana eccleſia principatum & caput obtinuit nationum; interpretatur, referri ad particulares eccleſias in toto orbe

conſtitutas, non ad uniuerſalem: & quod habetur in c. In iſtis. LXXX. diſt. quòd inter apoſtolos non fuit par inſtitutio, ſed unus omnibus præfuit; referri ad miniſteriũ particularium eccleſiarum: & quod dicitur, Romanam eccleſiam eſſe matrem omnium eccleſiarum. c. Non decet. XII. diſt. interpretatur ſolum de particularibus eccleſiis.

In hoc articulo ſuperioritatis Papæ, aut concilii, gloſæ trepidantes plurimum uariarunt in c. In iſtis. IIII. diſt. c. Sicut. XIIII. diſt. c. Si papa. XL. diſt. c. Legimus. XCIII. diſt. c. Ecce. XCIX. diſt. c. Nemo. IX. q. III. c. Quodcunque. & c. A'recta. XXIIII. q. I. Clemen. Ne Romani. de elect. Clem. Ad noſtrum. de hæreti. c. Significaſti. c. Licet. de elect. c. Propoſuit. de conceſſ. præbend. c. Ad honorem. de auctor. & uſu pal. c. Quanto. de translat. prælat.

Nos autem aſſerimus Romanum ponticem ſuperiorem nedum ſingulis particularibus eccleſiis, ſed etiam ipſi uniuerſali eccleſiæ, ſi de congregatione fidelium ſine Romano pontifice ſit nobis ſermo; & eadem ratione generali concilio uniuerſalem eccleſiam repræſentanti, ſi contingeret concilium à
2 Romano pontifice diſsidere. Sicut enim minus recte diceretur, ſingulas oues paſtorem

habere, non autem uniuerſas: & ſingulos regem habere, non autem regnum, aut populum: ſic nec recte dici poteſt, ſingulas eccleſias caput habere, non uniuerſalem eccleſiam. Cum itaque paſtor auctoritate & poteſtate maior ſit grege, cuius eſt paſtor, & Petrus ac eius ſucceſſores paſtores ſint dominici gregis ex eo, quod dictum eſt Petro, Io.ult. Paſce oues meas: ſubſequitur Romanum pontificem, Petri ſucceſſorem, fore ſuperiorem eccleſia uniuerſali, & concilio generali illam repræſentanti.
3 Quod etiam deprehenditur ex ordine ſcripturæ in inſcriptione, qua dicitur: Leo epiſcopus, & ſancta ſynodus. Idem in epiſtola Athanaſii ad Marcum Romanum pontificem: in epiſtola Stephani archiepiſcopi ad Damaſum: in epiſtola Aurelii Carthaginienſis ad Innocentium. c. Ego Berengarius de conſecrat. diſt. II. c. Cum haberet. de eo qui duxit in matri. quam pollu. per adult. c. Theugualdum. XI. q. III. Licet quandoque Rom. pontifex ex humilitate ſe poſtpoſuerit. c. Dilectiſsimi. XII. quæſt. II. c. Victor. LXXVII. diſtinct. c. De decimis. XVI. quæſt. I.

4 Ex eo autem potiſsimum cognoſcitur Romani pontificis ſupra concilia auctoritas, quòd abſoluit, & ſuis eccleſiis reſtituit epi-

ſcopos, quos ſynodus damnauerat, & expu
lerat, ut habetur in epiſtola Pelagii ad uni-
uerſos epiſcopos per Dardaniam conſtitu-
» tos, cum dixit: Sed nec illa præterimus,
» quòd apoſtolica ſedes more maiorum, e-
» tiam ſine ulla ſynodo præcedente, abſoluen
» di quos ſynodus iniqua damnauerat; & da-
» mnandi, nulla exiſtente ſynodo, quos opor
» tuit, habuit facultatem. & hoc nimirum pro
» ſuo principatu, quem beatus Petrus apoſto
» lus domini uoce & tenuit ſemper, & tene-
» bit. Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium
» ſynodus orientalis abdixerat: quem tamen
» exceptum ſedes apoſtolica, quia non con-
» ſenſit, abſoluit. Itaque & ſanctum Flauia-
» num, pontificem Græcorum, damnatum
» pari tenore; quoniam ſola ſedes apoſtolica
» non conſenſit, potius qui illic receptus fue-
» rat, ſecundæ ſedis præſulem ſua auctoritate
» damnauit: & impiam ſynodum non con-
» ſentiendo ſola ſubmouit: & auctoritatem,
» ut ſynodus fieret Chalcedoneñ. ſola decre-
» uit. Hæc Pelagius in decretali, ex qua ſum-
ptum eſt c. Cuncta per mundum. IX. q. III.
quem ſecutus Nicolaus pont. in epiſtola ad
patriarcham, & totum clerum Conſtantino
» politañ. inquit: Necnon & patrum, &
» prædeceſſorum noſtrorum ſecuti ueſtigia,
» qui ſoliti ſunt etiam numeroſorum concilia

» nequiter celebrata cassare pontificum : quin
» potius non solum hæc, sed omnia scripta uel
» aduersum fratrem, & coepiscopum nostrũ,
» Ignatium, & inique conficta, uel aduersus
» nos, causam illius canonice prosequentes,
» furiose deprompta sunt, perenni damnatio-
» ni mandamus.

5 Præterea cum exceptio sit de regula, & il lam firmare dicatur in non exceptis casibus. & in c. Si papa. XL. dist. habeatur: Hu- iusmodi culpas (Romani scilicet pontificis)
» redarguere præsumit mortalium nullus:
» quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est
» iudicandus, nisi deprehendatur à fide de-
» uius: & quando deuiat, à concilio iudice- tur. c. Nunc autem. XXI. dist. §. Hinc e- tiam. XVII. dist. glo. in c. Sicut. III. q. VII. subsequitur, quòd aliis casibus à con- cilio non iudicabitur: quodq; non erit con-
6 cilium supra Romanum pontificem. Nec obstat quod dixit Panor. quòd sicut in ge- nerali lege non comprehenduntur Cardina- les, ut colligitur ex c. unico. de schismat. & ex c. Nemo deinceps. de elect. lib. VI. sic nec comprehendetur concilium. quia re- spondetur, ea interpretari debere secundum subiectam materiam, & ex identitate ratio- nis admitti extensionem ad maiora: ut colli- gitur ex c. Pro humani. de homi. lib. VI.

ubi tex. de principe locutus, extenditur ad quemcunque principem, etiam quoad pœnam, quam delinquenti imponit. Minus etiam obstat, quòd in generali sermone non comprehendatur uniuersitas. auten. Item quæcunque. C. de episc. & cler. & ibi Bal. & in c. Romana. §. Vniuersitatem. de sententent. excom. lib. VI. quia respondetur, sæpe etiam ex ui uerborum comprehendi uniuersitatem, ut in casu l. Metum. ff. Quod met. cau. ubi edictum quod metus causa, generaliter conceptum, complectitur uniuersitatem. quod etiam adnotauit Bald. in c. I. de noua forma fidelit. & in l. Quicunque in III. col. de ser. fugiti. Et quòd uerbum, à nemine, comprehendat uniuersitatem, & concilium; colligitur ex concilio Romæ habito tempore Marcellini Papæ: de quo in c. Nunc autem. XXI. dist. & alio, coacto tempore Symmachi, de quo in §. Hinc etiam XVII. dist. cum Marcellino dictum fuit:
» Tuo ore iudica causam tuam: prima sedes
» non iudicatur à quoquam. & Symmacho:
» Symmachus Papa, apostolicæ sedis præ-
» sul, ab huiusmodi oppositionibus impeti-
» tus, quantum ad homines respicit, sit im-
» munis & liber: cuius causam totam dei iudi
» cio reseruamus. Vtrobique enim patres con
cilii de Romano pontifice iudicare nolue-

runt. Nec mirum, ſi Bonifacius VIII. in
» extrauag. Vnam ſanctam, decreuit: Si de-
» uiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate
» ſpirituali: ſed, ſi deuiat ſpiritualis, minor
» à ſuo ſuperiori: ſi uero ſuprema, à ſolo deo,
» non ab homine poterit iudicari. quod Eze-
chielis teſtimonio comprobatur, qui cap.
XXXIIII. inquit: Dixit dominus, quòd
» ſi is, qui præeſt, in officio ſuo fuerit negli-
» gens, & per eius negligentiam anima pereat:
» ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requi-
» ram; ſubiiciens: Non populus terræ, ſed
» ego. ex quibus uerbis plane colligitur, quòd
ſuo iudicio reſeruat deus punitionem culpæ
ſuper ſpeculam præſidentis. Hinc Innoc. in
ſermone anniuerſarii conſecrationis ſuæ, cu-
ius initium eſt, Quem putat fidelis ſeruus;
» dixit: In tantum enim eſt mihi fides neceſ-
» ſaria, ut cum de cæteris peccatis ſolum de-
» um iudicem habeam; propter ſolum pec-
» catum, quod in fide committitur, poſſum
» ab eccleſia iudicari.

7 Item, concilium non eſſe ſupra Papam,
comprobatur ex eo, quòd communitas ho-
minum ad ea ſe extendit, quæ ad finem ſibi
conuenientem ſpectant; qui, ſecundum
Philoſophum, eſt humana felicitas ſtatui
huic terreno conueniens, & quam in hac
mortali uita conſequi ualeamus. propterea

poteſt cui placuerit, auctoritatem, & ius tribuere; ut ipſam regat legibus ad hunc ſcopum ſpectantibus. et hinc orta eſt regalis potestas. At ſpiritualis & eccleſiaſtica poteſtas, ſuis legibus & præceptis non ſolum hominem dirigit ad humanam felicitatem, quæ eſt uiuere ſecundum uirtutem, ſed ad perpetuam etiam & æternam; quæ à ſolo deo eſt expectanda. propterea neceſſe eſt talem poteſtatem à deo, non ab hominibus tribui; & à ſolo deo, à quo pendet, iudicari.

8 Præterea quemadmodum terreni principes illius iudicium ſibi reſeruant, cui uices ſuas commiſerint: ſic rationi congruere uidetur, cœleſtem dominum, Chriſtum Ieſum, nulli dediſſe ſupra uicarium ſuum iudicii poteſtatem: pro cuius fide, ut non deficeret, rogauit patrem: & cui fratrum confirmationem demandauit: non autem quòd coram eis iudicio ſiſteret.

Diſſolutio obiectorum. *Cap*. XXIII.

1 PRO firmiori Romani pontificis ſupra concilium auctoritate ſtabilienda, ſunt à nobis diſſoluenda aduerſantium obiecta: quorum primum eſt. in omni regno bene inſtituto illud in primis deſiderari, ut plus regnum poſsit, quàm rex. ſi contra reperiatur, id non regnum,

ſed tyrannidem eſſe, teſte philoſophorum
principe Ariſtotele. ſic in eccleſia eſſe de-
bere, ut plus ualeat cœtus fidelium, quàm
Papa: ſi eum eccleſiæ principem agnoſcere
uelimus. Sed reſpondemus: quod ſumitur
ex ſententia Ariſtotelis, uerum eſſe de huma
no principatu, qui ab hominibus datur: ut
cum populus in principem ſuum transfert
poteſtatem. At Papæ poteſtas à deo eſt,
non ab hominibus: ut quæ ad ea ſe exten-
dit, quæ humanam tranſcendunt poteſta-
tem; & à deo immediate proueniat: ut ſu-
pra diſſeruimus. propterea ſicut princeps
alium principem habens ſuperiorem, à quo
principatum, non autem à populo ſuſcepe-
rit; à ſuperiori principe, non à populo iu-
dicatur: ita Papa non à cœtu fidelium, ſeu
eccleſia, aut concilio illam repræſentante de
poni, aut iudicari poteſt: ſed à deo ſolo, à
2 quo ſuſcepit poteſtatem. Nec officit quòd
ab hominibus fuerit electus: quoniam hi ſo
lum miniſterium præſtitere, illum deſignan
do, à deo poteſtatem ſuſcepturum. quem-
admodum & epiſcopus à canonicis & capi-
tulo eligitur: quem tamen non poſſunt ab-
rogare: quòd non ab ipſis, ſed à lege, aut
eccleſia accipiat poteſtatem.

Secundo obiiciunt, penes eccleſiam ſu-
premam eſſe poteſtatem, & iuriſdictionem

etiam in Rom. pontificem: quòd ea ſit, aduerſus quam portæ inferi præualere non poſsint. Ex Hieronymi enim ſententia, portæ inferi peccata deſignantur: quæ ſi nequeunt expugnare eccleſiam, nec poterunt maligni ſpiritus, qui nullam in humanum genus poteſtatem habent, niſi propter peccata. Quòd ſi maligni ſpiritus, quorum poteſtati (teſte Iob) nulla poteſtas ſuper terram comparatur, non præualent aduerſus eccleſiam, ſequitur habere eccleſiam poteſtatem omnibus maiorem. Hinc interpretantur illud: Rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; non de Petro, ſed de eccleſia; ex eo, quod alibi apud Ioannem ipſe dominus dicit: Ego pro his rogo, quos mihi dediſti: & uolo, ut ubi ego ſum, & iſti ſint mecum. ex quo fit, ut in Petro omnes contineantur: & per Petrum ſæpius eccleſiam intelligamus.
3 Huic obiectioni reſpondemus, non recte colligi: portæ inferi, peccata, maligni ſpiritus non præualent aduerſus eccleſiam: ergo eccleſiæ auctoritas eſt omnibus maior. quoniam iſta dona, non errare, nec peccare, & aliis præeſſe, diuerſi ſunt ordinis: & unum ab altero ſeiungi poteſt: cum poſsit uir bonus eſſe, & in gratia conſtitutus ſine auctoritate: & plures auctoritate fungentes, carentes dei gratia, & pecca

tores: quinimo non ſeparantes unum ab altero, inciderent in errorem aſſerentium eccleſiaſticam auctoritatem penes bonos duntaxat eſſe; improbatum etiam à pluribus ex his, qui ſupremæ auctoritati Romani pontificis aduerſantur. Quod uero dixit Iob, nullam poteſtatem comparari poteſtati maligni ſpiritus, nequaquam accipiendum de maioritate, aut iuriſdictione; ſed de uiolentia quadam, & ui ei permiſſa à deo, propter præuaricationes noſtras. Propterea in æquiuoco laborant, qui huiuſmodi utuntur exemplis.

4 Tertio obiiciunt illud Hieronymi, ad Euagrium, & habetur in c. Legimus. XCIII. diſt. Si auctoritas quæritur, orbis maior eſt urbe; exclamantes, Magnus eſt Papa, quia Romanæ præeſt eccleſiæ: magna eſt eius auctoritas: maior tamen eſt uniuerſalis eccleſia, quæ non urbem unam, ſed totum complectitur orbem. ex quo inferunt: ergo ipſa eccleſia, & generale concilium illam repræſentans, maior eſt Rom. pontifice. Et ſicut totum maius eſt ſua parte, ita eccleſia uniuerſalis maior eſt Romana eccleſia, & illius præſide. ſed reſpondetur, Hieronymum non loqui de auctoritate iuriſdictionis orbis, comparata auctoritati Romanæ eccleſiæ, ſeu apoſtolicæ ſedi; ſed de auctoritate conſuetudinis; quæ tanto maior eſt, quan-

to generalior fuerit, & à pluribus recepta. & ideo præferendam orbis consuetudinem, qua presbyteri maiores habentur diaconis, consuetudini unius urbis, qua diaconi ob eorum paucitatem præferuntur presbyteris: nec inferendum à consuetudine ad auctoritatem, & iurisdictionem: quoniam consuetudo uires sumit ab obseruatione, auctoritas, & prærogatiua à dignitate
5 dantis, & obtinentis. Nec dignior uniuersalis ecclesia Romano pontifice, quòd Romanus pontifex illius pars sit: quoniam cum Romanus pontifex, ut ecclesiæ caput, plenitudinem habeat potestatis, & ab ipso omnis aliorum potestas & iurisdictio pendeat, & deriuetur; non potest illius potestas, qui non solum episcopus est urbis, sed totius orbis, inferioribus comparari, sicut pars uniuersi comparatur aliis partibus; ex quibus etiam cum eo totum resultat: sed ut totum uirtute comprehenhens quicquid potestatis est in aliis. quemadmodum dicit Boetius, superiorem uirtutem in se continere inferiores: & sicut dicunt Geometræ, trigonum esse in tetragono. Proin-
6 de omnes episcopi congregati cum Papa, quoad iurisdictionem & potestatem, non maiorem habent iurisdictionem ipso Papa. Et est simile ei, quod dixit Diuus

Thomas, quòd omnes creaturæ, & deus, ſimul conſideratæ non plus habent bonitatis, & perfectionis, quàm deus ipſe ſolus. Et ſi ex eo, quòd Papa pars eſt concilii, colligitur concilium eſſe maioris auctoritatis Papa: ſimili modo colligi poterit, eccleſiam maioris eſſe auctoritatis Chriſto Ieſu; quòd Chriſtus illius caput ſit, & caput ſit pars corporis, etiam myſtici.

7 Quarto obiiciunt: Tanto ſuperior eſt eccleſia Romano pontifice, quanto maior eſt mater filio: eccleſia autem mater eſt omnium fidelium: igitur & Romano pontifice. Quòd autem mater ſit, habetur c. Non decet. XII. diſt. quod eſt ſumptum ex prima
» decretali Calixti Papæ, cum dixit: Sicut fi-
» lius uenit facere uoluntatem patris, ſic &
» uos implete uoluntatem matris noſtræ, quæ
» eſt eccleſia. & c. Qui abſtulerit. XII. q. II.
» cum dixit Anacletus: Mater noſtra eccleſia
» eſt: quæ nos in baptiſmo regenerauit. Quod
» comprobat Aug. in ſermone de Paulo, cum
» dixit: Mater noſtra pariendo non diſcernit
» ætates: ipſa genuit Petrum, & Paulum pa-
» riebat. & infra: Beate Petre, benedic pa-
» trem, & ſuſcipe fratrem: & habes quo poſ-
» ſis defendere matrem. Igitur eccleſia maior Petro, & eius ſucceſſoribus. Reſpondemus, ea ueneratione & honore, quo filius,

etiam iure diuino, tenetur honorare matrẽ; mater superior est filio: nil tamen prohibet, quin filius administratione, & iurisdictione maior sit matre; & à matre filio præstandam obedientiam: de quo exemplum habemus de rege habente matrem; cui, ut rex est, omnes maiorem obedientiam præstant, quàm matri; quin etiam ipsa mater. Diuersa itaque ratione, uicissim & mater maior est filio, & filius matre. quod in his mysticis corporibus nequaquam absonum uidetur: sicut aliàs diximus, idem esse caput, & fundamentum.

8 Quinta obiectio est, Christus ecclesiæ sponsus est, iuxta illud Apocal. XXI. Et
» uenit ad me unus ex septem angelis, dicens:
» Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem
» agni. & sustulit me in spiritu, in montem
» magnum & altum, & ostendit mihi ciuita-
» tem magnam, sanctam Hierusalem, descen
» dentem de cœlo, habentem claritatẽ dei &c.
& de eo sanctus Thomas in tract. contra impugnantes religionem, interpretatus est illud Io. III. qui habet sponsam, sponsus est; subiiciens: Romanus autem pontifex, paranymphus & minister est ecclesiæ, quæ & regina dicitur, iuxta illud prophetæ: Astitit regina à dextris tuis, in uestitu deaurato, circundata uarietate: psalm. XLIIII. dici-

tur enim aſsiſtere à dextris Chriſti, ad denotandum eius potentiam: ſicut de filio dicitur, quòd ſedet ad dexteram patris. dicitur ueſtita ueſtitu deaurato, propter eius præ aliis excellentiam. deſcribitur circundata uarietate, propter diuerſitatem prælatorum, & aliorum membrorum eccleſię. Sunt enim in hac eccleſia militanti, ſicut in triumphanti, diuerſi ordines, inferiores, & ſuperiores: & habetur in c. Ad hoc. LXXXIX. diſt. dicitur eſſe eccleſia, domina & princeps, ut in deploratione Hieremiæ: Domina gentium, facta eſt ſub tributo: & habetur in c. Non minus. de immu. eccl. quòd ſi eccleſia ſpōſa eſt domini ſui, regina, domina, & princeps maior erit, & ſuperior Romano pontifice. Huic obiectioni, quæ eſt priori germana, ſimilem damus reſponſionem; nequaquam indecens fore, in his myſticis corporibus, idem fore maius & minus, alia tamen, & alia ratione. exemplum habemus de eo, qui uices gerit abſentis regis, qui maior cenſetur regina, & eius mandata præferuntur reginæ iuſsionibus. regina tamen, quòd uxor ſit regis, cui omnis uiri dignitas communicatur, & dignitate, & ueneratione maior cenſetur uicerege, cui tamen & ipſa ratione iuriſdictionis & officii parere tenetur. His addimus ex ſententia glo. in illud Eſa. XLI.

Dedit me quaſi ſponſum, decoratum coro
na, & quaſi ſponſam ornatam monilibus
ſuis; non dedignari Chriſtum Ieſum eccle-
ſiæ ſponſum eodem nomine appellare, per-
fectos in eccleſia. Propterea mirandum non
eſt, ſi non ſolum Rom. pontifex dicitur ec-
cleſiæ ſponſus, ſed etiam epiſcopi ſponſi di-
cantur eccleſiarum ſuarum. c. Sicut alterius
uxor. VII. q. I. c. Eccleſiæ meæ. XCVII.
diſt. c. Quoniam. de immunit. eccl. lib. VI.
hinc ſanctus Thomas in illud Io. III. quod
» ſupra citauimus, qui habet ſponſam, ſpon-
» ſus eſt; ſubiicit: Ipſe enim de eccleſia no-
» mine ſuo filios generat. alii autem dicuntur
» ſponſi, ſicut miniſtri ſponſi exterius coope-
» rantes ad generationem ſpiritualium filio-
» rum: quos quidem non ſibi, ſed Chriſto ge
» nerant: & qui in tantum ſponſi dicuntur, in
» quantum uicem ueri ſponſi tenent. & ideo
» Papa, qui obtinet uicem ueri ſponſi in tota
» eccleſia, uniuerſalis ſponſus dicitur. Hæc
ſanctus Thomas. & in IIII. ſentent. diſt.
XXVII. dicit, quòd epiſcopus, cui cura
eccleſiæ committitur, uirgines deſponſat,
non ſibi, ſed Chriſto, quaſi ſponſi paranym
» phus & amicus; ſubiiciens, quòd etſi epi-
» ſcopus ſuæ dioceſis ſponſus ſit, & presbyter
» ſuæ eccleſiæ, unde dioceſis ſponſus eſt Pa-
» pa, & parochiæ epiſcopus; non tamen pre-

» pter hoc ſequitur, quòd ſint plures ſponſi
» unius eccleſiæ: quia ſacerdos ſuo miniſterio
» cooperatur epiſcopo, tanquam principali,
» & epiſcopus Papæ, & Papa ipſi Chriſto.
» Vnde Chriſtus, Papa, & ſacerdos non com
» putantur niſi pro uno, cum una ſit iuriſdi-
» ctio, & unus ſponſus, ſicut una ſponſa. pro-
pterea minime inter ſe pugnant, quòd Pa-
pa ſponſus ſit, & paranymphus.

Sexto obiicitur: auctoritas conceſſa Ro-
9 mano pontifici, illi data eſt, non tanquam
domino, ſed tanquam miniſtro ſponſi, &
ſponſæ, hoc eſt Chriſti & eccleſiæ. c. Illud.
VIII. q. I. c. Quodcunque. c. omnibus.
XXIIII. q. I. iuxta illud apoſtoli: Sic
nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti,
& diſpenſatores myſteriorum dei. ideo cum
eſſet contentio inter diſcipulos domini, quis
eorum eſſet maior, audierunt à domino:
» Reges gentium dominantur &c. non ita erit
» inter uos: ſed qui maior fuerit, ſit tanquam
» miniſter. Ex quibus uerbis colligit Bernar.
Sanctam Romanam eccleſiam, non domi-
nam eſſe aliarum eccleſiarum, ſed matrem;
quæ filios ſuos non grauare, nec opprime-
re, ſed pietatis uberibus nutrire tenetur: ut
c. Ad Romanam. & c. Ideo. II. q. VI. c.
Prædicator. XV. q. I. Si itaque Roma-
nus pontifex miniſter eſt eccleſiæ; non uti-

que erit maior illa, nec generali concilio illam repræſentanti. Reſpondetur, non ſemper miniſterium inferiorem denotare; ut cum deſignat auxilium, ſubſidium, aut opem ſalutarem: quo modo angeli miniſtri dicuntur hominum, teſtante apoſtolo ad
» Hebr. XI. eos in miniſterium miſſos, pro-
» pter illos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. quinimo & ipſe Chriſtus miniſter eſt, iuxta
» illud Matth. XX. Non ueni miniſtrari, ſed
» miniſtrare. quo modo etiam qui maior eſt, dicitur miniſter: licet miniſter, qui alterius uirtute operatur, et alterius, qui principalis ſit, uices gerit; minor ſit eo, cuius eſt miniſter. et eo modo Papa non eſt eccleſiæ miniſter, ſed Chriſti; cuius auctoritate fungitur, iuxta illud primæ Corinth. IIII. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti. propterea non ſequitur: Papa miniſter eſt eccleſiæ: ergo Papa minor eſt eccleſia. aliàs implicaret quod dixit dominus: Qui maior eſt ueſtrum, ſit tanquam miniſter.

Septimo obiiciunt, catholicam eccleſiam illam eſſe, cuius confeſsio in ſymbolo continetur: huius eccleſiæ tantam eſſe auctoritatem, ut ſola Chriſti euangelia dicantur, quę illa recipit, iuxta illud Aug. Euangelio non crederem, niſi me eccleſiæ auctoritas commoueret. hanc eſſe tanto priuilegio à Chri-

ſto Ieſu donatam, ut eam errare non poſſe credamus: hoc ſolum natura deo competere, eccleſiæ uero priuilegio: hoc munus nulli unquam datum, non angelis, non hominibus, non ſummis pontificibus; quorum aliqui in hæreſes lapſi ſunt: eccleſiam ſolam ſine ruga et macula, illam eſſe quæ errare non poſsit in his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt: cum ea pollicitum dominum ſe permanſurum uſque ad finem ſeculi: eidem pollicitum ſe miſſurum ſpiritum ſanctum, qui omnem doceret ueritatem: in iſta nos omnes regenerari, roborari, nutriri, et uiuificari: neminem extra eam deo placere, neminem ſaluari poſſe: eſſe cœli ianuam, per quam ſolam ad cœlum ſit aditus: ſolam Chriſti ſponſam nuncupari: unicam pulchram, ſine macula, et ſine ruga, ſororem, amicam, columbam, formoſam, ſpecioſam, perfectam, hortum concluſum, fontem ſignatum, puteum aquarũ uiuentium, ſuauem, montem terribilem, denique, ut caſtrorum aciem, ordinatam. reſpondemus, ex his non recte colligi, eccleſiam, quam generale concilium repræſentat, maiorem et ſuperiorem uicario Chriſti in terris; quoniam hæc dona, eſſe pulchram, eſſe formoſam, eſſe ſine macula et ruga, non poſſe errare, adeſſe ei ſpiritum promiſſum,

et alia quæ enumerantur, diuersa sunt à primatu, et iurisdictionis auctoritate: unumq; sine alio subsistere potest, ut aliàs diximus. propterea ex his non recte colligitur, ecclesiam superiorem Romano pontifice, suo in terris capite: sicut etiam non recte colligeretur, si dicatur: Beata uirgo, illa est, quæ tota pulchra est, tota formosa, sola sine peccato, plena gratiæ, repleta spiritu sancto, et omni laude digna: et his de causis maior et dignior omnibus in terris: ergo ei data iurisdictio, et auctoritas in omnes, qui sunt de ecclesia filii sui, et domini nostri Iesu Christi; quæ non ipsi, sed Petro data est, cum ei dictum fuit, Pasce oues meas, pasce agnos meos. Omittimus autem, quòd forte non omnia dona illa terrenæ huic nostræ ecclesiæ, sed supercœlesti illi data sunt. non tamen approbamus glosam in c. sponsus. LVI. dist. quæ dixit, ecclesiam uocari Christi sponsam, quia adhuc per delictum separari potest ab ipso, sicut sponsa à sponso ante consummatum matrimonium: sed quòd in futuro seculo dicetur: Vxor, quæ modo sponsa. Nec enim censemus ecclesiam militantem, hanc scilicet nostram terrestrem, errare posse.

Octauo, obiicitur illud, quod dixit dominus Petro, Matth. XVIII. Si te non au-

dierit, dic ecclesiæ. si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram &c. subdens post pauca: Vbi duo, uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. ex his colligentes auctoritatem esse attributam ecclesiæ, & uniuersali concilio: supra quemcunque fidelem, cuiusuis fuerit dignitatis; cum ad ecclesiæ iudicium, etiam Petrum, & in eo quemcunque successorem iubet recurrere, atque illius acquiescere iudicio. Respondemus, monitionem illam fraternam, de qua Matth. XVIII. minime interpretari posse de uniuersali ecclesia, nec de generali concilio. quoniam aut nunquam, aut rarissime fieri posset: nunquam, quòd impossibile foret, dicere uniuersali ecclesiæ, per uniuersum orbem dispersæ: rarissime, quoniam rarissime generalia concilia congregantur. Sed dicendum, quòd illius præcepti sensus est: Dic ecclesiæ, idest, coram congregatione seu multitudine eum obiurga, ut sic maiorem erubescentiam habeat: & (ut dixit sanctus Thomas in eum locum) ut confundatur; & qui noluit sine confusione corrigi, cum confusione corripiatur. Possumus etiam interpretari, Dic ecclesiæ .i. adhibe disciplinam, aut censuram ecclesiasticæ disci-

plinæ, ut ſic, quemadmodum dixit Hieronymus in glo. multorum deteſtationi habitus, opprobriis ſaluetur, qui pudore ſaluari non potuit. quomodo intelligere poſſumus quod dixit Gregorius in regiſtro, epiſtola CCLXV. ubi reprehendens Ioannem, Conſtantinopolitanum epiſcopum, eo quòd ſe uniuerſalem epiſcopum uocauerat, inquit:
» Nos quidem, in quibus talis tantaq; per au-
» ſum temerarium culpa committitur, ſerua-
» mus quod præcepit ueritas, dicens: Si pec-
» cauerit in te frater &c. deinde ſubiecit: Ego
» quidem per reſponſales meos, ſemel, & bis,
» uerbis humilibus hoc, quod in tota eccleſia
» peccatur, corripere ſtudui: per me ſcribo:
» quicquid humiliter facere potui, non omiſi.
» ſi in mea correptione deſpiciar, reſtat quòd
» eccleſiam habeam adhibere; ideſt, eccleſiaſticam cenſuram. quod etiam impleuit, cum ſuis reſponſalibus (ſic enim legatos appellabat) quos Conſtantinopolim deſtinabat, mandauit, ne illi in diuinis communicarent.

Nono, ex modo traditionis poteſtatis eccleſiæ, colligunt ſupremam auctoritatem eccleſiæ, non Romano pontifici attributam; quòd mentio ſemper fiat alicuius ſpecialis gratiæ, uel auxilii, cum de eccleſia locutus eſt dominus; non ſic, cum Petro data eſt

auctoritas. Cum enim Lucæ x. dicitur:
» Ecce ego mitto uos; mox ſubiicitur: Qui
» uos audit, me audit. Mat. XVIII. Quæ-
» cunque alligaueritis &c. ſubiicitur: Vbi
» duo uel tres congregati fuerint in nomine
» meo; ibi ego ſum in medio eorum. Ioan.
» XVI. Adhuc habeo multa uobis dicere:
» ſed non poteſtis portare modo; ſubiicitur:
» Cum autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, il-
» le docebit uos omnem ueritatem. & Ioan.
» XIIII. Paracletus autem ſpiritus, quem
» mittet pater in nomine meo, ille docebit uos
» omnia, & ſuggeret omnia. Item: Roga-
» bo patrem: & alium paracletum dabit uo-
» bis: ut maneat uobiſcum in æternum, ſpiri
» tum ueritatis, quem mundus non poteſt ca-
» pere :quia non uidet eum, nec ſcit eum.
» Io. XX. Pax uobis: ſicut miſit me pater,
» & ego mitto uos. & cũ hoc dixiſſet, inſuffla
» uit: & dicit eis: Accipite ſpiritum ſanctum:
» quorum remiſeritis peccata &c. Matth. ult.
» Euntes docete omnes gentes. & ſtatim ſub-
» iunxit: Et ecce ego uobiſcum ſum uſque
» ad conſummationem ſeculi. At in poteſta-
te data Petro, non ſic fit mentio pacis, ſecu-
ritatis, gratiæ, ſpiritus ſancti, & aſsiſtentiæ
Chriſti: ut cum Io. primo dictum eſt Pe-
tro: Tu uocaberis Cephas. Matth. XVI.
Tibi dabo claues regni cœlorum. & cum di

» ctum fuit: Rogabo pro te, Petre, ut non
» deficiat fides tua: & Io. ult. Pasce oues meas. item cum in figura locutus est, Lucæ v. Duc in altum: de solutione stateris, Mat.
11 xvii. & similia. Respondemus, quæ dicta sunt apostolis, cum dicta sunt, affuisse & Petrum. Nos autem fatemur supremam auctoritatem datam ecclesiæ, cum iuncta est capiti suo. Dici etiam potest, quæ enumerantur gratiæ, eas pro maiori earum parte datas singulis apostolis, ut singulis, non ut collegio, aut uniuersitati. quoniam aliàs opus foret in earum executione semper eos in unum conuenire: cum tamen singuli potestatem habeant docendi gentes, remittendi peccata, eiiciendi dæmonia; & similia.

12 Decimo, adducunt Hieronymum, in quadam ad Damasum epistola, in qua de supremo ecclesiæ ordine locutus, inquit, dominũ discipulis omnem potestatem dedisse, eandemq; datam episcopis, qui in eorum locum successerunt; colligentes, cum illam potestatem congregatis apostolis tradiderit, eandem concessam episcopis in unũ conuenientibus, & concilio, neminemq; exceptum: ex consequenti nec Rom. pontificem, iuxta illud apostoli ad Heb. II. Omnia subiecisti sub pedibus eius. in eo, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Respondemus,

prout sæpius diximus, potestatem datam apostolis simul cum Petro, & ordine quodam: primũ Petro, cui plene concessa fuit, et aliis sub Petro, qui et uocati sunt in partem solicitudinis. nec Petrus hac ecclesia inferior dici potest: aliàs se ipso inferior foret: sicut nec deus solus, nec inferior, nec imperfectior est seipso cum uniuerso orbe: sicut sæpius diximus.

13 Vndecimo obiiciunt, apostolos & ecclesiam, irritam habuisse electionem Clementis, à Petro factam: quod fieri non potuisset, nisi ecclesia maiorem auctoritatem habuisset Rom. pontifice. Respondemus, id actum consentiente Clemente, spiritus sancti instinctu, & eo iuri suo cedente; ne res in exemplum traheretur. Et fuit sententia glo. in c. Si Petrus. VIII. q. I.

14 Duodecimo obiiciunt illud Nume. XVI.
» ꝙ Synagogæ proceres insurrexerunt contra
» Moysem. & cap. XVII. eum reprehende-
» runt dicentes: Cur deduxisti ecclesiam dei in
» solitudinem, ut nos & iumenta nostra mo-
» riamur? colligentes id ad superiorem pertinere: ex consequenti ecclesiam maiorem Moyse, summo sacerdote. Respondemus id male colligi: etiam si Moyses summus sacerdos fuisset. quoniam quod inique, & minus recte factum fuit, in exemplum trahi

non debet. Nec enim iuſte populus & eccleſia de Moyſe conquerebantur. Quod etiam ſi recte, & iuſte actum fuiſſet, ſuperioritatem minime deſignat: cum etiam inferiores de male actis à ſuperiore, conqueri poſſint, & illum redarguere, exemplo Pauli reprehendentis Petrum, quia reprehenſibilis erat.

15 Decimo tertio obiiciunt illud Hilarii Papæ, quod habetur in c. Quod quid. XXXV. q. IX. cum poſt editum decretum condemnationis quorundam exceſſuum, ſynodum allocutus, ſubiecit:
» Quod ut poſſit tenacius
» cuſtodiri, ſancta ſynodus ſententiam accõmo
» det: & omnes proprias ſubſcriptiones, ut ſy
» nodali iudicio aditus claudatur illicitus; colligentes ex eo, ſupremam concilii auctoritatem. Reſpondemus, requiri ſynodi ſubſcriptionem, non quòd ſynodus maior ſit pontifice; ſed ut res conſultius acta, facilius recipiatur & (ut Hilarii utamur uerbis) tenacius et firmius teneatur.

Similiter reſpondemus ad id, quod decimo quarto loco obiici poteſt, de Symachi Papæ uerbis, quæ habentur in c. Bene quidem. XCVI. diſt. qui ſynodo præſidens, cum diſceptaretur, robur'ne haberet ſcriptura Baſilii, Odoacris regis locum tenentis: qua decernebatur ſine imperatoris conſultatione non celebrandam Rom. pontificis ele-

ctionem : uoluit illam in medium adduci, & legi, ut, cuius esset uigoris, decerneretur: nec inde disputaretur, unde posit synodi iudicare consilium. quoniam uoluit in medium adduci, ut eorum reciperet consilium, non ut ipsi, tanquam superiores, decernerent, an scriptura illa recipienda foret. sed ut si eorum consilio reiicienda esset, ut de re consultius acta, omnibus constaret reiiciendam. quin potius responsio patrum Rom. pontificis astruit auctoritatem. Cum enim omnes respondissent nullius esse roboris, rationem reddentes dixere, quia apostolicæ sedis, quæ statutis synodalibus consueuit firmitatem tribuere, non erat auctoritate roborata.

Decimo quinto, obiiciunt illud Symachi Papæ, de quo in §. Item Symachus. II. q. VII. Item Symachus Papa, in Romana synodo dignitate sua spoliatus, prius statui pristino restitui decernitur, & tunc uenire ad causam: & si ita recte uideretur, accusantium propositionibus responderet. digna res uisa est magno numero sacerdotum, ac mereretur effectum. Et cum postea ordinaretur, quomodo esset accusandus prædictus Papa, ut causam diceret, occurrebat: sed ab æmulis impeditus &c. ex eo colligentes, Papam subesse còncilii iudicio. Sed respondemus,

uel

uel Symachum ſe ſponte ſubmiſiſſe iudicio concilii, prout de Leone IIII. legitur. in c. Nos ſi incompetenter II. q. VII. cuius eſt pars §. Item Symachus. & de Damaſo, ex teſtimonio Hieronymi. uel ibi de hæreſi imputabatur: ut interpretatus eſt illum locum Turrecrem. quo caſu non negamus Papam, uel potius eum, qui fuit Papa, ſubeſſe concilio, cum propter hæreſim ipſo iure cenſeatur priuatus pontificatu.

Decimo ſexto, obiiciunt de eo, quod habetur in c. Prouinciæ. XCIX. diſtinct. ubi Anacletus; & in c. Vrbes. LXXX. diſtin. ubi Lucius Papa aſſerunt non ſolum Petrum, ſed apoſtolos omnes diuiſiſſe prouincias: patriarchas, archiepiſcopos, & epiſcopos poſuiſſe; ex eo colligentes, Petrum minorem apoſtolorum collegio, & Roman. pontificem epiſcoporum concilio. Reſpondemus, nec in his locis haberi, apoſtolos ſimul congregatos id feciſſe. Quod ſi apoſtoli diuiſi per mundum prædicando, & ad fidem populos conuertendo, eccleſias erexerunt, & conſtituerunt epiſcopos, id fecere uel apoſtolatus auctoritate ſibi à Chriſto domino commiſſa, uel beati Petri, eorum capitis. Et quoniam quod per Rom. eccleſiæ caput factum fuit, per ipſam Romanam eccleſiam factum cenſetur, dixit Nicolaus Papa,

quod habetur in c. Omnes. XXII. distinct. Omnes, siue patriarchæ cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, & episcopatuum cathedras, uel ecclesiæ, siue cuiuscunque ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia: illam uero ipse solus fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro, æternæ uitæ clauigero, terreni simul & cœlestis imperii iura commisit.

17 Decimoseptimo, obiiciunt de eo, quod habetur in c. Quamuis III. q. VI. ubi Eleutherius Papa dicit à cœtu apostolorum definitum esse, non licere expedire episcoporum causas, sine sanctæ Rom. sedis aucto ctoritate. quòd si apostolorum auctoritati, & non solius Petri, id concessum fuit, uidetur utique maior auctoritas cœtus apostolorum ipso Petro. Respondemus, id non fuisse auctoritatis traditionem, sed illius declarationem. quemadmodum aliàs interpretati sumus illud Anacleti, de quo in c. In nouo. XXI. distin. quòd apostoli ipsum Petrum principem eorum esse uoluerunt; qui non ab ipsis, sed à Christo domino auctoritatem suam susceperat: cum potius alii ab eo. c. Ita dominus. XIX. distinct. & c. Loquitur. XXIIII. q. I.

18 Decimo octauo, improbant Rom. pontificis auctoritatem ex eo, quòd quandoque

in conciliis examinatæ fuerint Romanorum pontificum ſententiæ, ut Dioſcori depoſitio per Leonem examinata & diſcuſſa fuit in Chalcedonenſi concilio: & quæ à Martino Pyrrhi, & Sergii in Conſtantinopolitana ſynodo: necnon Photii per Nicolaum & Adrianum in octaua ſynodo; cum examinatio, recte quid, uel perperam factum fuiſſe, ad ſuperioritatem ſpectet. Sed reſpondemus, examinationem huiuſmodi ad ſuperioritatem minime referendam, ſed ad id, ut omnibus innoteſceret, & ab omnibus reciperetur. quod colligitur ex actione VII. ſynodi ſextæ, cum Gregorius, archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, & ſynodus dixerunt ad Imperat. Petimus ueſtram tranquillitatem, ut ſuggeſtiones directæ ad à deo inſtructam ueſtram fortitudinem, tam ab Agathone, ſanctiſsimo Papa apoſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, quàm ab eius ſynodo relegantur; ut auditum capiamus, quatenus & nos cognitionem accipiamus totius uirtutis, quæ in ipſis continetur. et actione IIII. octauæ ſynodi; ubi cum Bahanes, magnificentiſsimus patritius, diceret, quòd Photius, & complures ex ſuis ignorarent iudicium factum per Roman. pontificem contra eos; & ideo deberet coram ipſis condemnationis ſententia recitari: dixere uicarii

» Nicolai Papæ: Nobis non licet rescindere
» iudicium sacrorum Rom. pontificum. Hoc
» enim contrarium est canonicis institutis. quo
» niam præsentes illic per proprios missos, &
» Romæ demorantes, contra se sententiam, &
» prolatam damnationem in Photium, & in
» manus impositionem eius, & audierunt li-
» quide, & didicerunt. Veruntamen, ut mani-
» festiorem eis iustam iudicationem sanctę Ro
» manæ ecclesiæ faciamus; ingrediantur, & au
» diant legi synodicas definitiones, & iudicia
» beatissimi Nicolai Papæ; ut certificentur ma
» gis & magis. Magnificentissimi & gloriosis-
» simi dixere: Hoc probum, & bonum est.
» Et in actio. v. habetur, quòd, cum Photius
» ductus in præsentia synodi interrogatus, an
» apostolicæ cathedræ iudicia tam de se, quàm
» de Ignatio promulgata amplecteretur: & il-
» le taceret; uicarii senioris Romæ dixere:
» Ecce homo, qui obturat aures, sicut aspis
» surda: & non audit uocem, quam ei sancta
» synodus obiicit: sed uult per hoc silentium
» effugere condemnationem, quam sancta
» Romana ecclesia ante multos annos pro-
» mulgauit aduersus eum. Veruntamen le-
» gantur epistolæ, quæ de eo missæ sunt à san
» cta Romana ecclesia. Placet ergo omnibus,
» ut legantur? sancta synodus dixit: placet.
Ex quibus synodi uerbis iam satis constat,

lectas huiusmodi epiſtolas, non ut examinarentur, aut de eis diſcuſsio fieret; ſed ut ad ad omnium notitiam peruenirent. Et quamuis recitatis prioribus literis legatur Papæ uicarios ad ſynodum dixiſſe: Ad hæc quid dicit ſancta ſynodus? eſt canonica expoſitione plena hæc epiſtola, uel non? & reſponderit ſancta ſynodus: Canonicam legem complet, & ſynodicam præceptionem & legiſlationem: nihilominus nequaquam hæc aut facta, aut dicta per uiam examinationis, aut confirmationis, quæ ad ſuperiorem ſpectent, ſed potius approbationis. quomodo canones in conciliis per Romanum pontificem promulgati, dicuntur ſanciti ſacro approbante concilio. nec facta illa interrogatio, quòd dubia forent quæ legebantur, ſed ut calumniam tollerent aduerſariorum: quemadmodum Ieſus interrogauit de Lazaro, quem ſuſcitaturus eſſet à mortuis, ubi eum poſuiſſent; non quòd id ignoraret, ſed ut oſtendentes ſepulchrum non poſſent negare Lazarum mortuum, propterea non reſuſcitatum. Et Io. baptiſta cum diſcipulis ſuis mandauit, ut interrogent, Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus? Matth. XI. non id mandauit, quòd ignoraret quem digito oſtenderat: ſed ut per hanc interrogationem uidentes ſigna atque uirtutes, cre-

derent in eum. sic illa facta est interrogatio, ut ex synodi responso cessaret aduersariorum calumnia. propterea complacitum est eis, ut damnati audirentur â synodo, ad obturandum loquentium ora. quoniam conquerebantur se inauditos. dicebant enim: Audiamus depositionem nostram: damnemur nobis audientibus.

19 Decimo nono, contra auctoritatem Romani pontificis citant epistolam Ambrosii, lib. x. epistolarum, ad Theophilum & Anisium scribentis: in qua refert Damasum Romanum pontificem dixisse, quòd si synodus integra fuisset, idest, si causam alteri non delegasset, potuisset ipse de causa cognoscere: sed quia synodus alteri delegando pręuenerat, non posse se iudicandi onus suscipere, cum delegati synodi uices tenerent: non conuenire autem, se de synodi auctoritate iudicare: quod conueniret, si synodo foret superior. Respondemus, papam non necessitate, sed honestate quadam permisisse iudices â synodo datos iudicare. & si ratio illa procederet, cum illud Capuañ. concilium, de quo Ambrosius & Damasus locuti sunt, prouinciale fuerit, sequeretur & prouinciale concilium superius esse Romano pontifice: quod nullus unquam somniauit.

Vigeſimo, obiiciunt illud eiuſdem Ambroſii, in dedicatione altaris maioris Mediolañ. eccleſiæ, cum dixit: Per Chriſtum dominum noſtrum, qui eminentiam poteſtatis acceptæ eccleſiæ contulit, quam pro honore ſuſcepto reginam conſtituit, & ſponſam, cuius ſublimitati omnia ſubiacent. Reſpondemus, id non excludere ſuperioritatem ſupremi in terris eccleſiæ capitis, nec recte colligi, omnia ei ſubiacent, ergo & caput: ſicut nec recte colligeretur, omnia deo ſubiacent, ergo deus ſibi ipſi ſubditus. uel dici poteſt (ut aliàs ſæpe diximus) hanc eccleſiæ excellentiam, cuius ſublimitati omnia ſubſunt, eſſe eccleſiæ, quæ iuncta eſt capiti ſuo, & cœleſti, & terreno; non illius, quæ diuiſa ab altero eorum foret.

Vigeſimo primo, obiiciunt illud Auguſtini, in epiſtola ad Glorium Eleuſinum, & Felicem grammaticum, cum inquit: Ecce putemus illos epiſcopos, qui Romæ iudicarunt (qui ſcilicet Cecilianum epiſcopum reſtituerant) non bonos iudices fuiſſe: reſtat adhuc plenarium uniuerſalis eccleſiæ concilium: ubi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari: & ſi male iudicaſſe conuicti fuerint, eorum ſententia ſolueretur. ex quibus uerbis ſane conſtare uidetur uniuerſalis concilii ſuprema poteſtas. Reſpon-

demus, nequaquam intentionis Augustini fuisse, ponere uniuersale concilium maioris auctoritatis apostolica sede: sed posse quidem reuocari sententiam maturiori patrum consilio: cum (ut aliàs dixerat) particularia concilia, quale fuit illud Romæ habitum, cedere debeant uniuersali, quod ex episcopis totius orbis fit. nec indecens foret, Rom. pont. maturiori consilio sententiam mutare: cum & solus id posit. c. Sententiam. XXXV. q. IX. nec consiliarii maiores sunt principe, quòd eorum consilio princeps mutet sententiam, quam uel solus, uel cum paucis decreuerat.

20 Simili modo respondemus ad id, quod uigesimo secundo loco obiici potest de eo, quod habetur in c. De libellis. quod fuit Leonis IIII. & c. De quibus. quod fuit Innocent. I. XX. dist. ubi instruimur, si qua orta fuerit controuersia, recurrendum primum ad sacram scripturam ueteris, & noui testamenti: deinde ad canones apostolorum, & conciliorum: postremo ad regulas Ro. pontificum. quo loco, ex ordine scripturæ, conciliorum decreta præferri uidentur regulis Rom. pontificum. quoniam præferuntur tanquam maturiori consilio constituta, ut explicauit idem Innoc. in d.c. De quibus. cum dixit: Facilius nanque inuenitur, quod à pluribus quæritur; cum tamen & priora

ſint Rom. pontificum decreta, uel ab eis con firmata, uel de conſilio patrum ſancita.

Vigeſimo tertio, inferiorem conſtituunt Rom. pontificem concilio ex eo, quod dixit Gregorius, & habetur in c. Siquis. II. q.
» VII. Siquis ſuper hoc nos redarguere uo-
» luerit, uel extra auctoritatem facere nos con
» tenderit, ueniat ad ſedem apoſtolicam, & ibi
» ante confeſsionem beati Petri mecum iuſte
» diſceptet, quatenus unus ibi ex nobis ſuſci-
» piat ſententiam ſuam. quo loco uidetur ſuũ iudicem agnoſcere concilium. Reſpondemus, id, exemplo Petri, ex humilitate feciſſe. quoniam (ut dixit idem Gregor.) & ha
» betur in c. Petrus. II. q. VII. Petrus po
» teſtatem regendi acceperat: & tamen idem
» apoſtolorum primus, querimoniæ contra
» eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intraſ-
» ſet; non ex poteſtate officii, qua potuiſſet
» dicere, oues paſtorem ſuum non accuſent,
» nec reprehendant; ſed ex auctoritate diuinæ
» uirtutis, qua gentiles acceperant ſpiritum
» ſanctum, reſpondit, & ſe purgauit.

Vigeſimo quarto, obiici poteſt de eo, quod dixit Hieronymus, & habetur in c. Omnibus. XXIIII. q. I. Siquis hanc domum, ſcilicet eccleſiam, corrigentẽ corripientemq́; contempſerit, ſit tibi ſicut ethnicus &c. Igitur eccleſia corrigens & corripiens, eſt etiam

Rom. pontifice maior. Respondemus, id referri ad fraternam monitionem, qua, ex charitate, etiam inferior corripere potest superiorem, &, ut se corrigat, monere: quæ monitio pro correptione sumitur.

21 Pene oblitus eram illius obiectionis, quam magni æstimant: & propterea inter primas annumeranda fuerat; cui, ne prætermittatur, uigesimum quintum locum nunc damus. Obiiciunt enim de canone VI. Niceni concilii, & habetur in c. Mos antiquus

» LXV. dist. Mos antiquus perdurat in Ae-
» gypto, uel Lybia, ut Alexandriñ. episcopus
» horum omnium habeat potestatem: quo-
» niam quidem & episcopo Romano parilis
» mos est; ex eo colligentes: si Alexandriñ. episcopus æquatur Romano: si Romanus pontifex curam habet circumadiacentium locorum, sicut Alexandriñ. Aegyptiorum; quonam modo dicendum est, Romanum pontificem omnibus præesse, & uniuersorum curam gerere? Respondemus, hanc Niceni concilii sententiam interpretandam, ut Romana sedes una est patriarchalium. Romanus enim pontifex, episcopus est urbis Romæ, & episcopus est uniuersalis ecclesiæ. & hanc fuisse Niceni concilii mentem colligere possumus ex canone XVII. octa-
» uæ synodi, his uerbis: Primum, quòd Me

» tropolitani super uniuersos episcopos, qui
» ab ipsis promouentur, & siue per manus im
» positionem, siue per pallii dationem, episco
» palis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant
» potestatem, uidelicet ad conuocandum eos,
» urgente necessitate, ad synodalem conuen-
» tum, uel etiam ad coercendum illos, & cor-
» rigendum, cum fama eos super quibusdam
» delictis forsan accusauerit: quia in Roma-
» na ciuitate huiusmodi mos præualuit. ex
quo canone deprehenditur, Nicenum con-
cilium de Romano pontifice mentionem fe
cisse, ut unus est Metropolitanorum. & hoc
uidetur innuere Nicolaus, ad Bituricen̄. ar-
chiepiscopum scribens, & habetur in c. Con
» questus. IX. q. III. cum dixit: primates,
» uel patriarchas nihil priuilegii habere præ
» cæteris episcopis, nisi quantum sacri cano-
» nes concedunt, & prisca consuetudo illis an-
» tiquitus contulit. definimus itaque, ut se-
» cundum Nicenas regulas sua priuilegia ser-
» uentur ecclesiis. Non placet autem interpre
tatio glo. in d. c. Mos antiquus. LXV. dist.
id intelligi debere de Constantinopolitano
episcopo, qui nouæ Romæ est episcopus.
quoniam tempore Niceni concilii, nec Con
stantinopolitana ecclesia erat patriarchalis:
nec Bizantium, Constantinopolis, aut no-
ua Roma appellabatur. Magis placet quod

aſſeruit Marcellus ille Ceruinus, Cardinalis ſanctæ crucis, qui unus eſt ex præſidentibus concilii Tridentini, Nicenum canonem non de Rom. pontifice, ſed de Metropolitañ. locutum: uerioremq; forte tranſlationem eſſe iuxta antiquiſsimum codicem, quem ſe habere aſſeuerabat:
» Mos antiquus perduret in
» Aegypto, uel Lybia, & Pentapoli, ut Ale
» xandriñ. epiſcopus horum omnium habeat
» poteſtatem: quoniam quidem Metropoli-
» tañ. epiſcopo. hoc idem moris eſt.

Vigeſimo ſexto, ſi Petrus maior, & primus eſt apoſtolorum, & propterea Rom. ecclesia prima inter eccleſias: eadem ratione, & Compoſtellana erit ſecunda, propter Iacobum, ſecundum apoſtolum: & Epheſina tertia, propter Ioannem, qui tertius connumeratur. Cum itaque nec Compoſtellana ſit ſecunda, nec Epheſina tertia: ſequitur nec Romanam fore primam, nec Petrum primũ apoſtolum, aut aliis ſuperiorem. Reſpondemus, Iacobum non eſſe ſecundum apoſtolorum, nec Ioannem tertium: ſed euangeliſtas diuerſo ordine apoſtolos nominaſſe: nec Iacobum aut Ioannem, ſucceſſorem habuiſſe in apoſtolatu: quin etiam nec Petrum: & in apoſtolatu omnes pares fuiſſe: Petrum tamen in adminiſtratione, & paſtorali officio ſucceſſorem habuiſſe Rom. pontificem.

Vigesimo septimo, obiiciunt: Si Ro. ecclesia diuino iure est prima ex eo, q̄ Petrus diuino monitu, aut instinctu transtulit sedem suam ex Antiochia Romã: eodem iure Alexandriñ. erit secunda, & Antiochena tertia. At cum nec Alexandrina diuino iure secunda sit, nec Antiochena tertia (quoniam hunc ordinem non immutassent duo Constantinopolitañ. & Chalcedoneñ. concilia: subsequitur, nec Romanam diuino iure primam,
22 nec Petrũ diuino iure esse maiorem aliis. Respondemus, q̄ etiam si concesserimus Rom. ecclesiam primã esse diuino iure: non tamen cogimur fateri, & secundam diuino iure esse secundam, & tertiã diuino iure tertiam: nec unum ex alio recte colligi, apertissimum est.

Vigesimo octauo, ex eo, quod habetur act. XX. Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo; colligunt: Non ergo Ro. pontifex, sed apostolorum cœtus ecclesiam regit, ex consequenti maior illo. Respondemus, intelligendum, apostolos illam regere, sed ordine suo. quoniam apostolus, qui ad Rom. cap. XIII. dixit: Non est potestas nisi à deo; subiecit: Quæ à deo sunt, ordinata sunt. stat igitur, quòd omnis potestas à deo sit, & tamen non immediate, sed or-

dine ſuo. quemadmodum Io. cap.I. dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt. & tamen non à deo omnia immediate, ſed ſecundis cauſis mediantibus. ſic apoſtoli eccleſiam regunt, ſed ordine ſuo: ut ſæpius dictum eſt.

Vigeſimo nono, obiiciunt plures Romanos pontifices ab Imperatoribus, & con cilio eiectos fuiſſe pontificatu: quod ſuperioritatem & concilii, & Imperatoris deſi-
24 gnat. Reſpondemus, id non iure, ſed iniu ria, & perperam factum, ſi de uero pontifice eſt nobis ſermo; aut cum incertum foret, quis eſſet uerus pontifex. Eiecti autem fuere Felix II. à Conſtantio: & perperam factum, quòd nollet Arrianis conſentire: Conſtantinus II. à concilio Romæ depoſitus, & in carcerem coniectus, quòd Paulo uita functo, ui tyrannica minus legitime Pontificatum inuaſiſſet, anno ſeptingenteſimo decimo; Chriſtophorus, qui Leonis pontificis presbyter, fraude & ui Leone in carcerem coniecto, ſedem apoſtolicam inua ſerat, anno noningenteſimo quinto. Ioan. XII. qui ſordidis, & prauis moribus, omnibus ſcandalo exiſtens, Rauennæ depoſitus fuit à concilio, Leone quodam ſurrogato: cuius tamen depoſitionem irritam fecit ſubſequens Romanum concilium. Benedictus V. à ſeditioſis pontifex factus, auctore

Othone Imper. ut minus legitimus deiectus, Leone IIII. surrogato. Ioannes XXIII. & Benedictus XIII. quod incertum foret, quis eorum Pontifex esset: quòd iuramentum & uotum emissum seruare recusarent, à Constantiensi concilio abrogati.

Trigesimo, obiiciunt quod habetur in octaua synodo Constantinopolitana: Si synodus uniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit, etiam de sancta Romana ecclesia, quæuis ambiguitas, & controuersia; oportet uenerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem acquirere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen sententiam audacter dare contra summos pontifices; quasi non audacter, sed cum conuenienti reuerentia posset synodus sententiam proferre. Respondemus, argumentum à contrario sensu cessare, ubi absurdum subsequatur: sicut in simili dixit Innocen. in c. Non debet. XII. dist. super illis uerbis, Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur; uacat hic argumentum à contrario sensu: quia non esset humilitas, sed superbia; non discretio, sed indiscretio, si eis resistatur.

Trigesimo primo, obiiciunt illud Ioel II. Canite tuba in spiritu: sanctificate ieiunium: uocate coetum: congregate populum: sancti

» ficate eccleſiam : coadunate ſenes : congre-
» gate paruulos, & ſugentes ubera. quibus uer
bis uidetur multum tribui multitudini, mi-
nus autem ſacerdotibus; cum ſubiicitur :
» Inter ueſtibulum, & altare plorabunt ſacer-
» dotes, miniſtri domini, & dicent: Parce
» domine, parce populo tuo : & ne des hære-
» ditatem tuam in opprobrium. Reſponde-
mus, nihil ex his detrahi auctoritati ſummi
pontificis, uel quia in ea multitudine connu
meratur ſummus ſacerdos : uel quia non re-
ćte colligitur, Sanctificanda eſt eccleſia, plo
rabunt ſacerdotes, & miniſtri domini : ergo
ſacerdotes, & ipſe ſummus ſacerdos iudican
dus eſt à multitudine.

Trigeſimo ſecundo, obiiciunt: Non opus
eſt concilio, ſi Papa eſt ſupra concilium.
quid uociferamur, concilium, concilium?
uociferandum eſt, Papa, Papa. Reſponde-
mus id non recte colligi : quoniam eadem
ratione ſuperuacua foret pontificis auctori-
25 tas, ſi ſupra Papam ſint concilia. nec uerum
fruſtra haberi concilium, ſi maior, aut æ-
qualis eſt auctoritas Romani pontificis au-
ctoritati concilii : quoniam, quæ in concilio
à Rom. pontifice decernuntur, aut à conci-
lio, auctoritate Romani pontificis, maiori
auctoritate, & maturius decreta cenſentur,
cum integrum ſit iudicium, quod plurimo-

rum

rum ſententiis roboratur. c. Prudentiam. de offic. delegat. quæ etiam cenſentur inſtinctu ſpiritus ſancti decreta. c. Si quis diaconis. c. Si ille. L. diſt. & act. XV. Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis. & iuxta illud: Si duo, uel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio illorum ſum. & alia etiam ratione: quoniam ſi forte in errorem declinaret pontifex, plurimorum iudicium eum facile ab errore retrahere poſſet, & in uiam ueritatis reducere.

Trigeſimo tertio, obiiciunt quod dixit Io. And. inſignis doctor in c. I. de renunc. lib. VI. in nouella; quòd ſi Papa in ſecreto conſiſtorio, pontificatu ſe abdicaret, nec alii forent teſtes, quàm Cardinales, deinde negaret ſe renunciaſſe; huius controuerſiæ concilium futurus eſt iudex: quod ſuperiorita-
26 tem etiam in Papam deſignat. Reſpondemus, eo caſu incertum eſſe & dubium, illum eſſe Papam; nec mirum, ſi eo caſu iudex ſit concilium, ſicut in c. Si duo forte contra fas. LXXIX. diſt. Si duo forte contra fas electi fuerint, concilium iudicem fore, quis eorum ſit pontifex; non Cardinales, qui eum elegerunt. propterea non recte colligitur: concilium iudex eſt, dubio & incerto Papa: ergo ſuperius Papa.

Trigeſimo quarto, obiiciunt illud Am-

brosii, quod habetur in c. Quæ dignior. XXIIII. q. I. quòd non est dignior domus prædicationis ingressu, quàm sancta Romana ecclesia. quòd si sancta Romana ecclesia dignior est, eadem ratione uniuersalis, quæ Romanam complectitur ecclesiam, & alias. Respondemus, id fore ratione capitis sui, Petri successoris: nec recte colligi: ecclesia Romana dignior est quacunque alia: ergo multo magis uniuersalis, quæ Romanam complectitur, & cæteras omnes: eo exemplo, quod aliàs dedimus, deum cum uniuerso orbe nequaquam se maiorem, aut perfectiorem fore, quàm ante mundi creationem. Dicimus etiam, Ambrosium comparare Romanam ecclesiam, ut catholicam, ecclesiæ hæreticorum: non autem ecclesiam suo capiti, Romano pontifici. propterea inanis est huiusmodi ratiocinatio.

Trigesimo quinto, ad probandum supremam auctoritatem penes ecclesiam fore, assumunt illud Ioan. Apocal. XXI. Et ego
» Ioannes uidi sanctam ciuitatem nouam, de-
» scendentem de cœlo, à deo paratam, sicut
» sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem
» magnam de throno dicentem: Ecce taber-
» naculum dei cum hominibus: & habitabit
» cum eis: & ipsi populus meus erunt; & ip-
» se deus cum eis erit eorum deus. Item de ec-

clesia, quæ domus dei est, adducunt ex libro
» psalmorum: Domine dilexi decorem do-
» mus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.
» Qui habitare facis unanimes in domo. Læ-
» tatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in do
» mum domini ibimus. Beati qui habitant in
» domo tua domine; in secula seculorum lau-
» dabunt te. Ecce quàm bonum & quàm iu-
» cundum, habitare fratres in unum. Sed ad
hæc sæpius responsum est aliis satisfaciendo obiectis, ab hac ecclesia nequaquam excludi caput suum, Roman. pontificem: cum quo hæc omnia, & alia plura ei conueniunt. sine eo (si contumaciter, & sine causa ab eo sepa retur) non erit Hierusalem illa sancta, descendens de cœlo: non domus dei, non alia, quæ hic, & alibi enumerantur de ea. Similiter respondemus ad id, quod habetur Ioan.
» XVII. dominum Iesum subleuatis in cœ-
» lum oculis dixisse: Pater sancte, serua eos
» in nomine tuo, quos dedisti mihi. & infra:
» Ego dedi eis sermonem tuum: & mundus
» eos odio habuit; quia non sunt de mundo,
» sicut & ego non sum de mundo. Non rogo,
» ut tollas eos de mundo; sed ut serues eos à
» malo. Sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus
ueritas est. Sicut tu me misisti in mundum; ita & ego misi eos in mundum: & pro eis rogo. Ego sanctifico meipsum, ut sint &

ipsi sanctificati in ueritate. non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint: et credat mundus, quia tu me misisti: etc. Non enim censendum est, pro apostolis rogasse dominum, et pro his qui credituri erant duntaxat, ut simul congregati faciebant ecclesiam; sed etiam pro singulis, nec pro eis, nisi cum capite eorum in terris, eius scilicet uicario, consentientibus; & nisi omnes unanimes essent, & unum in eo: quo deficiente, deficit omnis eorum dignitas: nec ex ea argui potest aliqua auctoritas, uel iurisdictio maior auctoritate sui capitis. si tamen eo deficiente (uacante scilicet sede) unanimes sint qui supersunt, non deficit ecclesiæ hæc dignitas, non auctoritas: non inanes & uacuę manent preces Christi ad patrem pro ea; sed tantum deest, qui ea auctoritate in uniuersum utatur: qui illius totius sit minister, & executor.

Examen, & interpretatio decreti Constant. concilij, de auctoritate concilij supra Papam.
Cap. XXIIII.

SED quoniam Constantieñ. synodi decretum cum his, quæ exposuimus, pugnare uidetur, operæpretium duximus,

de ipsius uiribus perquirere; cuius uerba
» subsequuntur. Primo declarat, quòd ipsa
» in spiritu sancto congregata concilium gene
» rale faciens, & ecclesiam catholicam repræ-
» sentans, potestatem à Christo immediate ha
» bet; cui quilibet cuiuscunque status, uel di-
» gnitatis, etiam si Papalis existat, obedire te-
» netur in his quæ pertinent ad fidem, & ex-
» tirpationem dicti schismatis, & reformatio-
» nem dictæ ecclesiæ in capite, & in membris.
» Item declarat, quòd quicunque, cuiuscun-
» que status uel dignitatis, etiam si Papalis
» existat, qui mandatis, statutis seu ordinatio-
» nibus huius sacræ synodi, & cuiuscunque al
» terius concilii generalis legitime congregati,
» super præmissis, seu ad ea pertinentibus, fa-
» ctis, uel fiendis obedire contumaciter con-
» tempserit; nisi resipuerit, condignæ pœniten
» tiæ subiiciatur, & debite puniatur; etiam ad
» alia iuris remedia (si opus fuerit) recurrẽdo.
Quod decretum ad literam innouauit Basi-
liense concilium, sessione 11.

Qui tuentur auctoritatem Rom. pontifi-
cis, omnes fere non recipiunt decretum, & il
lud improbare nituntur pluribus rationibus.

1 Primo, ex eo, quòd tempore, quo factum
fuit decretum, nondum erat integrum & ple
narium concilium, uniuersali consensu coa-
ctum; sed unius tantũ obedientiæ: cum tres

forent, qui se gererent pro Romano pontifice; cuius signum fore, quòd sess. XXI. & XXXV. dum & aliæ nationes accesserunt, opus fuit denuo concilium indicere: quæ tacita fuit confessio, ante nouam illam indictionem non fuisse concilium.

2 Secundo, si concilium Constantieñ. post accessionem aliarum nationum, quæ non agnoscebant Ioannem XXIII. pro uero pontifice, existimassent se prius constituisse uerum concilium, non opus fuisset, iam statutum decernere statuendum, propter quæ scilicet, & quo modo possit Papa corrigi & deponi: sessione tamen XL. constitutum fuit, Papam teneri obedire concilio in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & reformationem generalem ecclesiæ dei; puniendumq́;, si obedire contempserit. ex quibus constare uidetur, propter quæ, & quomodo corrigi possit, & deponi.

3 Tertio idem colligunt ex literis Martini V. approbante sacro concilio, ad Germaniæ episcopos; in quibus exposito prius tenore articulorum Io. vvicleff, & Io. Hus, quæ prius in concilio damnata fuerant, præcipitur interrogari suspectos de fide, utrum credant, quòd beatus Petrus fuerit uicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi.

item utrum credant, quòd Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia dei. Si enim ratum habuissent decretum, hæc pugnarent inuicem, quòd Papa habeat supremam auctoritatem in ecclesia dei, & quòd teneretur obedire concilio: cum non possit is, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris est potestatis, suis iudiciis adiicere, aut propriis definitionibus subiugare. c. Inferior. XXI. dist.

Quarto, idem deducunt ex reprobatione alterius erroris Io. Hus, quòd non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa ecclesia militante conuersetur. Si enim oportet, quòd sit unum caput ecclesiæ, quod semper cum ea conuersetur, quod est Papa, non tenebitur is concilio obedire; minusq; poterit ab eo corrigi & puniri.

4 Quinto idem confirmari uidetur ex eo, quòd nullibi constat Martinum confirmasse, aut ratum habuisse decretum: quin potius contrarium deprehenditur, quando destinauit præsidentes ad Senense concilium. quoniam duntaxat dedit concilio auctoritatem circa reformationem ecclesiæ in membris suis, nulla de capite facta mentione; & cætera agendi, quę statui suo non derogarēt.

5 Occurrentes autem obiectioni, quæ fieri potest: Si decretū uiribus non subsistit, non potuisset Io.XXIII. à concilio deponi, iurisdictionis defectu, quam à decreto consequebatur: Ioanne autē non rite abrogato, nec Martinus in pontificem eligi potuisset; dicunt ualuisse Martini electionē, non quia uacaret sedes ex Ioannis priuatione, sed ex illius libera renunciatione: quoniā etsi facta fuerit ab eo sub custodia retento, ratam tamen habuit, cū sui iuris esset, nulla ui aut impresione: Florētiæq; professus est, se sponte, non coacte, nullaq; ui aut impresione cesisse, & renunciasse. Addunt etiam Io. iure depositum, propter hæresim: quoniam in eius suspensione sess. x. uocatur notorius hæreticus, & incorrigibilis: quod etsi in sententia non exprimatur, sat tamen esse, si dictum fuerit, ꝙ propter illa crimina tunc expressa, & alia in processu deducta & contenta, tanq̄ indignū, inutilem, & damnosum, sancta synodus eū priuabat.

6 Respondent etiam alteri obiectioni, quæ fit eo, ꝙ Martinus v. in condemnatione errorum Io. Hus, & aliorum, declarauit, ꝙ error est, non credere, Ro. ecclesiam esse supremā inter alias ecclesias: si per Ro. ecclesiam, intelligimus ecclesiam uniuersalem, uel cōcilium uniuersale, aut pro quanto negat primatum summi pont. super particulares ecclesias. Ex

quo uidetur colligi: ergo non est error, nega re primatū Ro. pont. super uniuersalem ecclesiam: & iure decretum, Papam teneri pare re mandatis ecclesiæ, & generalis concilii illā repræsentantis. dicentes non recte id colligi per locum à contrario sensu; qui quandoque inutilis est: sicut si diceremus, fumus est, ergo ignis; recte colligitur: tamen si dicamus, ignis est, ergo fumus; nō subsequitur, nec recte col ligitur à contrario sensu: sicut etiam cū quid exorbitans colligitur, rationibus etiā aliàs per nos deductis. Citant etiam pro assertionis suę probatione, Rodericum, epm Calaguritañ. in dialogo, de auctor. & potesta. Rom. pont. asserentem se audiuisse à non paruæ auctori tatis uiris, qui interfuere concilio, decretum il lud præter id, quòd factum fuit à sola obedi-entia Io. XXIII. nec etiam cōcorditer factum ab omnibus eiusdem obedientiæ, cum recla-mauerint complures sanctæ Ro. ecclesiæ Car dinales, complures prælati, & doctores, affir mantes decretum minus iuridicū fore; datu-rumq; quandoque occasionē schismatis; con tradixisse & ipsum Io. XXIII. & ea de causa infeliciter fugam arripuisse. Citant & Abb. Si culum in tract. cui tit. est, Sententia finalis; in quo retractauit quæ scripserat contra auctori tatem Ro. pont. referentem F. Zabarellam, Cardinalem Florent. cū in sess. IIII. recitaret

decretum, ſubſtitiſſe, cum ad ea uerba deuenit, & ad generalem reformationem &c. no luiſſeq; illa uerba legere, tanquam præter communem deliberationem addita.

7 De innouatione uero decreti, facta per Baſilienſe concilium, aſſerunt illam minime obeſſe ſupremæ Romani pontificis auctoritati: quoniam etſi Baſilienſe concilium & Martini, & Eugenii auctoritate legitime indictum, & inchoatum fuerit: & ex literis Eugenii annulationis, diſſolutionis, ſeu tranſlationis legitime continuatum: non tamen ualuiſſe decretum ex eo, quòd ab apoſtolicis legatis & præſidentibus reclamatum fuerit: quemadmodum irrita fuerunt decreta ſecundi Epheſini concilii, etſi legitime congregati: & irrita ſunt quæcunque decernunt & alia concilia, ſi ab apoſtolica ſede confirmata non fuerint, ut aliàs erit diſſerendum.

Quòd ſi iſtos ſequi uolumus, miramur Ioannem Gerſon, cancellarium Pariſinum, uirum acerrimi ingenii, & ſummæ eruditionis, exultaſſe de huiuſmodi decreto, & gratias deo egiſſe, quòd tandem deciſa & ſublata fuerit controuerſia ſuperioritatis inter Papam & concilium. quoniam ſi ante decretum dubium erat, quis eorum foret ſuperior: dubium etiam erat, quis eorum potuiſſet id declarare: ex conſequenti non ui-

demus, quonam modo id censeri potest declaratum ab eo, de quo dubitabatur, an esset superior, maxime in suimet fauorem, cum id decernere ad superioritatem pertineret.

8 Nos tamen putamus decretum illud robur obtinere, nec eo imminutam auctoritatem Rom. pontificis: quoniam si is (quod deus auertat) in hæresim lapsus sit, non in eum habet concilium potestatem, qui sit pontifex, sed in eum, qui fuerit pontifex: quòd hæresis omni eum auctoritate & potestate spoliauerit. In casu uero schismatis, cum scilicet duo, uel plures de pontificatu contendunt, cum ignoretur, quis eorum sit pontifex, concilium in eos habet potestatem, qui pro pontificibus non habentur. Sicut enim quod nescitur consecratum, pro non consecrato habetur, & consecratione eget. c. Veniens. de presby. non bapt. c. Solennitates. de conse. dist. I. sic qui ignoratur, an uerus sit pontifex, habendus est pro non pontifice: & in eum habens potestatem, non censetur habere potestatem in pontificem. His astipulantur uerba. c. Si duo forte contra fas. LXXIX. dist. & decreti, de quo est nobis sermo. Ex quibus perspicue colligi potest, illis duobus casibus concilio tribui potestatem in Rom. pontificem. Nec te

deterreant uerba, cui quilibet, cuiuſcunque ſtatus uel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur. quoniam is Papa præmiſſis caſibus, in quem concilium poteſtatem obtinet, ſic Papa nuncupatur, ut homo mortuus, aut pictus, homo appellatur. quod ſatis ex præmiſsis colligitur. Præterea illi patres decretum illud locum habere uoluerunt tempore ſchiſmatis; non autem cum fuerit unus uerus & indubitatus pontifex. Et quod dicitur in ſecunda parte decreti: Item declarat, quòd quicunque, cuiuſcunque conditionis, ſtatus uel dignitatis, etiam ſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus huius ſacræ ſynodi, & cuiuſcunque alterius concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſsis &c. referendum eſt ad ſimilem caſum ſchiſmatis, aut hæreſis Romani pontificis; quo, recte concilio ſubiicitur. Nec quod dicitur, Ad reformationem dictæ eccleſiæ in capite, & in membris; referendum eſt niſi ad deformationem ratione ſchiſmatis, aut hæreſis, cum deſit uerus pontifex, cuius eſt eccleſiam reformare. Sic quod dicitur: In capite, & in membris; interpretandum de capite dubio, & incerto: cum ſuper eo concilium habeat iuriſdictionem, non autem ſi certum fuerit & indubitatum.

Sed quia negare non possumus, uerba decreti esse ambigua, & in utranque partem interpretari posse, & iure timendum, daturum quandoque occasionem schismati, prout experientia edocti sumus in Basilieñ. concilio: recte uideretur consultum reip. Christianæ, ne metu similis inobedientiæ, & schismatis, Rom. pontifices retrahantur ab indictione conciliorum: & ne quod uoluit Constantieñ. synodus frequentius fieri, ex suo decreto infrequentius fiat: expediret decretum huiusmodi declarari: quæ forte mens fuit, & propositum Constantiensis concilii, cum sessione XL. decreuit decernendum fore, & statuendum propter quæ, & quomodo Papa posit corrigi, & deponi. Subsequentes igitur quod decreuit Constantieñ. synodus, declarandum uideretur decretum, & conceptis uerbis finienda controuersia hæc superioritatis inter Papam, & concilium: ut omnes intelligerent, coercionem datam concilio fore cum, pluribus se gerentibus pro Romano pontifice, iustis de causis dubitatur, quis eorum sit pontifex: & cum pontifex in hæresim damnatam lapsus foret, & monitus in ea perseueraret. Similiter habere concilium potestatem reformandi ecclesiam in capite, & in membris; duobus iam dictis casibus, non autem cum

unus foret catholicus & indubitatus pontifex, nisi eo presente in concilio, aut super id speciali data auctoritate. Et proculdubio hæc fuit mens & intentio Constantieñ. concilii, quam Basilienses perperam interpretantes, in errorem lapsi sunt, prætextu reformationis ecclesiæ, usurpantes omnem pontificiam potestatem. Maiores enim causas in concilio tractabant, de causis cathedralium ecclesiarum iudicium sibi assumentes: prouisiones per pontificem factas irritabant, & nullas decernebant: beneficia ecclesiastica conferebant & commendabant: legatos de latere ad regendas prouincias destinabant: causas à Romana curia auocabant: decimas imponebant: indulgentias plenarias & perpetuas elargiebantur: & alia fere omnia faciebant, quæ ad supremam Romani pontificis spectant auctoritatem. quo factum est, ut Eugenius, tanta rei indignitate commotus, concilium iterũ dissolueret, & Ferrariam transferret: & subsecutum horrendum schisma, nedum duorum pontificum, sed & duorum (ut ipsi prætendebant) generalium conciliorum; quorum alter alteri minime deferebat, uicissim sese censuris & maledictis impetentes: & quod ioco dixit Antoninus, archiepiscopus Florentinus, Basileam peperisse Basiliscum. Quapropter iterum clara uo-

ce denunciamus, opus fore declaratione, quam honestiorem existimamus reuocatione. quandoquidem Parisiensis schola, & alii plures, non obstante concilii Florentini decreto mordicus retineant decretū illud Constantieñ. & Basilieñ.

Rom. pont. à concilio deponi non potest.

Cap. XXV.

Ex his subsequitur, Papam à concilio nec deponi, nec iudicari posse: quod etsi ex præmissis perspicuum existimemus, aliis tamen rationibus adhuc comprobamus.

Primo, si Papa posset propter crimina & excessus deponi, sicut alii episcopi, frustra dixisset Anacletus, quod habetur in c. Eiectionem. LXXIX. distin. Eiectionem summorū pontificum sibi dominus reseruauit.

Secundo, ex eo, quod dixit Eusebius Papa in c. Oues. II. q. VII. Oues, quæ suo pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec ullatenus accusare possunt.

Tertio ex dicto Anterii Papæ & martyris, quod habetur in c. Facta. IX. q. III. Facta subditorum iudicantur à nobis, nostra uero à domino.

Quarto ex sententia Bedæ, quæ habetur

» in c. de episcopo. IX. q. III. Sola Ro-
» mana ecclesia sua auctoritate ualet iudicare
» de omnibus: de ea uero nulli iudicare per-
» mittitur.

2 Quinto citatur sanctus Thomas in IIII. sentent. distin. XIX. q. II. art. II. cum
» dixit, quòd quamuis prælati sint corripien-
» di à subditis, non est eis tamen pœna inuren
» da, sed recurrendum ad superiorem; uel si
» caret superiore, ad deum, ut eum emendet,
» uel de medio tollat. Et si obiiciatur: qui sic orat ad deum, iudicat actiones eius esse peruersas: aliàs iniusta esset petitio. Quôd si iudicat actiones suas esse peruersas, & sic cum deo agendum, tanquam homines audiant: subsequitur, non solum secrete in oratione, sed ubi foret opportunũ, licere fidelibus uerbo exprimere sententiam, quam de summo pontifice iudicant. Respondemus, id recte colligi non posse: quoniam frustra id fieret, & sine fructu, cum superiore careat: quin potius seditiones commoueret, & scandala, à quibus omnino abstinendum. propterea licet hoc à deo expetere bonum sit: non tamen fas erit, ad id faciendum alios cohortari & impellere: quin etiam nec his licebit, quibus in ecclesia prædicandi officium est de-
3 mandatum. Et quod dicitur Ezech. III. &
» XXXIII. quòd hi, qui constituti sunt à

deo

deo ſpeculatores domus Iſrael, tenentur
» clangere tuba, & intimare eccleſiæ malum
» &c. de inferiorum malo, pro quibus conſti-
tuti ſunt ſuper ſpéculam, intelligi debet: non
quòd inferior teneatur denunciare delicta
ſuperiorum, & clangere buccina. Vel dici
poteſt, quòd etiam ſi liceret fidelibus uerbo
exprimere ſententiam, quam de ſummo
pontifice iudicant, id liceret, non ut illum
coherceant, aut puniant, ſed ut & ipſi orent
ad deum, ut eum emendet, uel de medio
tollat.

Sexto, citant illud Symachi Papæ, quod
» habetur in c. Aliorum. IX. q. III. Aliorum
» hominum cauſas deus uoluit per homines
» terminari: ſed ſedis iſtius præſulem ſuo ſine
» quæſtione reſeruauit arbitrio. Et quòd lo-
» quatur de exceſsibus, & erratis, oſtendunt,
» quæ ſequuntur uerba, cum dixit: Voluit
» beati Petri ſucceſſores cœlo tantum debere
» innocentiam, & ſubtiliſsimi diſcuſſoris in-
» dagini inuiolatam habere conſcientiam.

Septimo, citari poteſt glo. in c. Siquis pe-
cunia. LXXIX. diſt. cum dicit Papam di-
cere poſſe: Dominus eſt, qui me iudicat.
& Oſtien. in c. Quanto. de translat. prælat.
cum dixit, idem fore conſiſtorium Papæ
& Chriſti, & citra fidem à nemine poſſe
iudicari.

Octauo, citatur Bonifacius martyr, & habetur in c. Si Papa. XL. dist. Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quòd magis officit sibi & omnibus: nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio geennæ, cum ipse pla-
6 gis multis in æternum uapulaturus, huius culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus.

Nono, citatur Lateraneñ. concilium, de quo in c. Licet. de elect. ubi legitur:
7 In ecclesia Romana aliquid specialiter constituitur; quia non potest ad superiorem haberi recursus. ubi glo. Ostien. quia nulla est superior ipsa: sed ipsa super omnes est. cui Ioann. Andr. addidit. Ideo iudicio dei relinquitur. c. Nemo. IX. quæstio. III.

Decimo, citatur illud Gelasii Papæ, quod habetur in c. Ipsi sunt canones. ead.
8 cau. & quæst. quòd apostolica sedes de tota ecclesia habet iudicare: ipsam uero ad nullius commeare iudicium.

9 Vndecimo, quemadmodum periti medici nunquam abscindunt caput, quamuis ægrum, ulcerosum, & multis morbis affectum: sic in mystico corpore uidetur sem-

per caput tolerandum, nec amouendum, etiam ſi criminoſum, & malum extiterit. Quòd ſi dicatur non fore parem rationem: quoniam humano corpori, abſciſſo capite, aliud aptari non poteſt: ſecus in myſtico, quod ſucceſsiue plura habere poteſt capita, & cuius interitus non formidatur, amoto capite: conuertimus hoc, quod dicitur, quòd etiam ſi ex amotione capitis à naturali corpore, non ſubſequeretur ipſius ægri interitus, non abſcinderetur, ſed conſeruaretur: quemadmodum non reſecantur membra paralyſi debilitata, & prorſus officio ſuo inutilia: quamuis eis reſecatis non ſubſequeretur ægri interitus.

10 Duodecimo, quamuis dominus mandauerit, ut ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizauerit, eruatur & abſcindatur: nullatenus mandat caput abſcindi: qui tamen de myſticis membris loquebatur.

11 Decimo tertio, Synodus auctoritate Symachi Romæ coacta, clara uoce pronunciauit: Simachus Papa, ſedis apoſtolicæ
» præſul, ab huiuſmodi oppoſitionibus im-
» petitus, quantum ad homines reſpicit, ſit
» immunis & liber; cuius cauſam totam dei
» iudicio reſeruamus. & habetur in §.
Hinc etiam. decima ſeptima diſtinctione.

Similiter ſynodus Sinueſſæ congregata di-
12 xit Marcellino: Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio. & iterum: Noli audiri in noſtro iudicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam. & rurſus: Quoniam ex te, inquiunt, iuſtificaberis. & iterum dicunt: Prima ſedes non iuſtificabitur à quoquam. & habetur in c. Nunc autem. XXI. diſtinct.

13 Decimo quarto, citatur canon. XX. concilii Romani ſub Syluestro Papa, cum dicitur: Nemo etiam diiudicet primam ſedem: quoniam omnes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari: neque quoque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur. repetitum ab Innocentio, ut habetur in c. Nemo. IX. q. III.

Decimo quinto, quemadmodum Metropolitañ. qui caput eſt prouincialis concilii, puniri non poteſt, nec deponi in prouinciali concilio. c. Graue. & ibi not. doct. de præben. ſic nec Rom. pontifex puniri, aut deponi poterit à generali concilio, etiam ſi grauibus criminibus infectus, incorrigibilis ſit.

Decimo ſexto, citatur quod legitur. I. Reg. c. XXIIII. & c. XXVI. quòd licet Saul ſe regno reddidiſſet indignum; & propter ſua

crimina, & mandatorũ dei transgressionem, pluries datus fuerit in manus Dauid, quem persequebatur: nunquam tamen Dauid in eum insurgere uoluit: quinimo uocabat eum dominum suum, & Christum domini,
» dicens: Nisi dominus percusserit eum, aut
» dies eius uenerit, ut moriatur, aut descen-
» dens in prælium perierit; propitius sit mihi
» dominus, ne faciam hanc rem domino meo,
» Christo domini, ut mittam manum meam
» in eum: quia Christus domini est. Dicant igitur Papæ subditi, ut Dauid dixit Saulo: Iudicet dominus inter me & te: & liberet me de manu tua, & de omni angustia.

Decimo septimo, legamus Extrauagantem Bonifacii VIII. cuius initium est,
» Vnam sanctam. dum inquit: Si deuiat
» terrena potestas, iudicatur à spirituali: si
» deuiat spiritualis, iudicatur minor à superio-
» ri: si uerò suprema, à solo deo, non ab ho-
» mine potest iudicari.

Præmissa tamen uidentur impugnari posse: primo, quoniam si odio habere deum, grauius est peccatum hæresi, ut asseruit sanctus Tho. secunda secundæ. q. LXXIII. ar. II. & si magis nocet ecclesiæ Papa omnia uendens beneficia, prauos homines extollens, bonos deprimens, tyrannice sæuiens, seu aliis inuolutus criminibus, quàm si in hære-

ſim lapſus ſit : per locum à maiori uidetur colligi poſſe, quòd ſi propter hæreſim aut deponendus ſit, aut iure ipſo depoſitus: multo magis propter quæ diximus crimina, potiſſimum ſi incorrigibilis foret. Reſpondemus, id non recte colligi: quoniam hæreſis non ratione grauitatis criminis, ſed ratione mutationis ſtatus, conſtituens de Chriſtiano non Chriſtianum, reddit Papam deponendum, uel ipſo iure depoſitum: licet amiſſa fide caracterem retineat. At etiam, dici poſſet, quòd licet alia crimina maioris ſint effectus quoad alios, non tamen quoad ſe: nec ſemper, quando cætera ſunt paria, ſubſequitur: quis poteſt quod maius eſt: ergo poterit quod eſt minus. ſicut nec ſequitur: intellectus poteſt in actum maiorem, qui eſt intelligere: ergo poterit & olfacere: uiſus poteſt in obiectum maius, quod eſt lucidum: ergo poterit in minus, quale eſt ſonus, aut aliud quid ſimile.

Secundo, ſi minus recte conſuluiſſet dominus eccleſiæ ſuæ, ſi neminem loco ſui in terris conſtituiſſet; ad quem pro rerum, & temporum neceſsitate recurri poſſet: nonne minus recte eidem conſuluiſſet, ſi ad nullum tribunal in terris recurri poſſet, periclitante eccleſia, uicarii ſui culpa? Reſpondemus, eccleſiam illam, quæ errare non poſsit, in

unum conuenire non poſſe, ad Papam iudicandum.

Tertio, eadem ueritas impugnatur ex eo, quòd ſi Papa malus, & incorrigibilis à nemine puniri, aut iudicari poſſet, periclitaretur eccleſia, læderetur fides, omniaq; in deterius laberentur: adeo ut dicerent infideles, Vbi eſt deus Chriſtianorum? Reſpondemus, id minime formidandum: quoniam eccleſiæ regimen à deo inſtitutum, diuinum cenſendum eſt, non humanum, diuinoq; inniti auxilio, iuxta illud: Ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. propterea non diffidendum de diuina prouidentia, nec præſumendum, quòd ob unius noxam periclitetur eccleſia. Perſuadere etiam nobis poſſumus ex ſpiritus ſancti directione, deum non permiſſurum, Papam ratione humanitatis infirmum, & ſeducibilem; ratione diuinitatis ipſum regentis, inſuperabilem. Quodq; etſi quandoq; permiſſurus ſit eum tentari: non tamen ut in profundum tentationis præceps cadat: uel non permiſſurum, quòd eo cadente, ſecum trahat eccleſiam, quæ (teſte Apoſtolo) columna eſt, & firmamentum ueritatis. cui conſonat, quod præclare dixit ſanctus Tho. cap. ult. octaui quolibeti, dum quærit, An in ſanctorum canonizatione eccleſia er-

rare poſsit; firmiter credendum, quòd ſi accideret, Papam uelle finaliter procedere ad aliquod cõtra fidẽ, deus aliquod ei præſtaret impedimentum, manum à ſcriptura retinendo, uel linguam à loquendo: ſicut præſtitit Baalam; quem uolentem maledicere populo, coegit benedicere. quod etiam præfiguratum fuit in Petri nauicula, uentis agitata, non tamen naufragium paſſa. Item præfiguratum futuros humanos defectus in Petri ſucceſſoribus, ſubleuandosq́; non ab homine, ſed à Chriſto; ſicut Petrum per ſeipſum, ne mergeretur, erexit.

18 Alia etiã ratione perſuaderi poteſt, nõ periclitari eccleſiam ex malis moribus, & grauibus delictis Papæ, etiam ſi deſit emendationis ſpes. quoniam Papæ poteſtas ad ea ſe porrigit, quæ ſupra fundamenta eccleſiæ ſunt: fundamenta autem ipſa lædere non poteſt; quæ tria complectuntur, quid credendum, quid agendum, quo medendum. Primum articulos fidei concernit; qui non à Papa, ſed à ſpiritu ſancto dictati & editi, uires Pontificiæ poteſtatis ſuperant: etſi explicari, & ad compendium, facilioris memoriæ cauſa, redigi poſſunt, quod & ſymbolum appellari poteſt. Secundum moralia continet præcepta; quæ de iure naturæ ſunt; ſupra quæ Papa auctoritate caret. Et ideo, ſi-

quid mandaret agendum, quod alicui ex præceptis decalogi repugnaret, non esset ei parendum. Et quia sæpe contingit, ut homo circa hæc duo fundamenta se male gerat, scilicet minus recte credendo, uel male agendo: ideo diuinitus data sunt sacramenta, quasi medicamenta sanantia illa uulnera; quod erat tertium, supra quod nec ipse Papa potestatem habet, sed remanet, sicut & cæteri mortales. Hinc est, quòd in his se subiicit confessori, medicamenta suscepturus. Quibus saluis fundamentis, quæ euertere non potest Papa, nequaquam timendum est, ex illius prauis moribus, & inemendabili uita periclitaturam ecclesiam; cui pollicitus est dominus, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Non igitur ea de causa dandus Pontifici superior, qui eum corrigat, puniat, aut Pontificatu eiiciat.

Quarto, argumentantur nonnulli: Si licet non solum impune, sed etiam meritorie occidere tyrannum, propter reipub. bonum, ut censuit sanctus Tho. secundo sent. dist. ult. q. ult. â fortiori uidetur licere concilio, si non occidere, saltem deponere Papam tyrannum: qui in malo perseuerans, & incorrigibilis, scandalo sit cunctis hominibus, & plus noceat ecclesiæ, et fidelium saluti, quàm quiuis sæuissimus tyrannus iis, quibus do-

minatur. Sed respondemus, quòd etiam si liceret populo impune tyrannum occidere (quod non fatemur) non tamen subsequitur, ergo ciuili morte, quæ est depositio, poterit occidere malum pontificem. quoniam non est utriusque par ratio: cum rex, aut princeps à populo, pontifex à deo suscipiat potestatem; in hoc pares, quòd utrique adimit, qui dedit, regi aut principi populus, pontifici deus.

Quinto, & hac impugnant ratione: Si licet gladium de manu furiosi auferre; si lege naturæ, quæ cuncta animalia docuit, uim ui repellere: liceret Papam inuasorem, se defendendo, occidere: uidetur etiam licere auctoritatem à Papa auferre, qua uelut gladio furiosus abutitur in ecclesiæ perniciem, licere se ab eo defendere, & defendendo exarmare, spoliare, & spiritualiter occidere, auferendo sibi omnem auctoritatem, & nocendi facultatem. Respondemus, quòd sicut licet gladium è manu furiosi eripere, non tamen licet, uim repellendo, iudicis aut principis officium usurpare: sic etsi Papæ mandanti, quod sine peccato fieri non potest, aut quod iuri diuino, aut naturali repugnat, obediendum non sit, quinetiam sit ei resistendum; non propterea licebit, in eum ius dicere, superiorẽ agere, nec à sede sua deiicere.

20 Sexto inquiunt: Si arbor non faciens fructum excidenda eſt, & in ignem mittenda, Mat. iii. ſi auferendum malum ex nobis, primæ Cor. v. ſi palmes abſciſſus à uite areſcens in ignem mittendus eſt, Io. xv. ſi ſal qui euanuerit, mittendus foras, & conculcandus ab hominibus: cur non licebit Papam, ſuis criminibus à uera uite abſciſſum, ſal inſipidum & infatuatum, factum arbori infructuoſæ ſimilem, ab eccleſia foras mittere, conculcare, & pontificia auctoritate ſpoliare? Reſpondemus, id non recte colligi: quoniam etiam ſi quis culpis et erratis eò deueniret, ut meritò abſciſſo palmiti, infructuoſæ arbori, & ſali infatuato comparari poſſet; non id à concilio, nec id ab hominibus fieri poſſet: ſed id expectandum ab eo, cui ſubeſt, cui ſoli habet rationem reddere: qui iuſtus iudex eum impunitum minime permittet.

Similiter reſponderi poteſt ad ſeptimam rationem, qua præmiſſa impugnari poſſent: Si in ſacerdotibus fides cum uita præeligenda eſt, multo fortius in ſummo ſacerdotum, cum fides ſine operibus mortua ſit, teſtante
» Iacobo. Vulnerato nanque paſtore, quis
» curandis ouibus adhibet medicinam? aut
» quomodo populum orationis clypeo tuea-
» tur, qui iaculis hoſtium ſeſe feriendum ex-

» poſuit? aut qualem fructum de ſe productu
» rus eſt, cui graui peſte radix eſt infecta? Ma
» ior ergo metuenda eſt locis illis calamitas,
» ubi tales interceſſores ad locum regiminis
» adducunt, qui dei magis iracundiam prouo-
» cant, quàm per ſe ipſos placare debuerant.
Verba fuere Gregorii ad Theodoricum, & Theodebertum Francorum Reges, & referuntur in c. Fertur. 1. q. 1. Similis inquam reſponſio dari poteſt, non propterea ſequi: ergo ſummus ſacerdos ab hominibus aut concilio iudicandus erit; quamuis ſe feriendum hoſtibus expoſuerit: quamuis eius preces exaudiendæ non ſint, & magis ad iracundiam prouocandam, quàm placandam porrectæ. Quæ tamen uerba non de ſummo pontifice, ſed de his epiſcopis et ſacerdotibus dicta ſunt, qui per ſimoniacam prauitatem, dignitatis gradum adepti fuerant.

Octauo opponitur, quòd cũ non legatur in ſacra ſcriptura, dominum dediſſe maiorem poteſtatem apoſtolis in cauſa fidei, quam aliis, cum dixit Mat. XVIII. Quodcunque ligaueritis &c. quòd ſubſequi uidetur, quòd, ſi dedit eccleſiæ poteſtatem iudicandi Papam; ſi à fide deuius fuerit, & aliis caſibus, ab eccleſia iudicari poterit. qui uidetur locus à maiori ad minus, ſi in maiori
21 ri cauſa poteſt, poterit & in minori. Re-

ſpondemus, id minime ſubſequi: quoniam diuerſa eſt utriuſque caſus ratio. In cauſa enim hæreſis non iudicatur is qui eſt, ſed qui fuit Papa: propterea locus eſt à minori ad maius: non è contra, ſcilicet, poteſt eccleſia iudicare non Papam, ergo poterit iudicare Papam.

22 Nono, opponitur ex glo. in c. Si Papa. xl. diſt. aſſerente ſe credere, quòd, ſi notorium eſt crimen, per quod ſcandalizetur eccleſia, & incorrigibilis ſit; quòd inde accuſari poſſit. Reſpondemus in primis, gloſam illam, quæ fuit petra ſcandali concilii Baſilieñ. non fuiſſe receptam, & repugnare ipſius textui, cum dicitur: Huiuſmodi culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus; & pluribus aliis glo. gloſæ ſcilicet, in. c. Mandaſtis ii. q. v. aſſerenti Papam ab aliquo iudicari non poſſe, nec ab uniuerſali concilio: et gloſæ in c. Nemo. IX. q. III. ſuper uerbo, ab omni clero; quæ dicit argumentum, quòd concilium non poteſt Papam iudicare. necnon & gloſæ in c. Siquis pecunia LXXIX. diſt. aſſerenti Papam accuſari poſſe de hæreſi, ſi errat circa articulos fidei, non etiam, ſi latiori uocabulo de hæreſi accuſaretur, qualis eſt ſimonia. Alii dicunt glo. id pro uero non affirmare, ſed uti uerbo credulitatis. quidam quòd in-

terpretanda est, quando Papa defenderet crimen, de quo emendari nollet, non esse peccatum. Dici etiam posset, Papam accusari posse à concilio, non ut eum pontificatu eiiciat, aut aliàs puniat; sed ut per subtractionem obedientiæ in his, quæ perperam mandaret, indemnitati ecclesiæ prouideretur: ne quod ex delicto Papæ respublica Christiana detrimentum patiatur.

Decimo, propter uiri auctoritatem, non omittamus rationem inductam per Roma. cons. 523. quamuis debilis & infirma uideatur. Inquit enim, Papam notorio crimine irretitum, ecclesiam scandalizantem, incidere in hæresis suspicionem, per c. Nullus
» XXXVIII. dist. ubi habetur: Qui enim
» rebelliter uiuit, & ediscere, atq; agere bona
» recusat, magis diaboli, quam Christi men-
» brum esse ostenditur, & potius infidelis,
» quàm fidelis esse monstratur. & per tex.
in c. Si qui sunt. LXXXI. dist. & in c. Scien
» dum. VIII. q. I. ubi dicitur: Peccatum
» ariolandi est, nolle obedire: & scelus idola-
» triæ, nolle acquiescere: ac peccatum pagani-
» tatis incurrere eum, qui se Christianum esse
» asserit, & mandatis ecclesiæ parere conte-
» mnit. Addit c. fi. de pœn. ubi legitur,
» quòd qui ecclesiæ parere pertinaciter re-
» nuit, claues illi commissas contemnendo,

» non caret ſcrupulo hæreticæ prauitatis; ex his colligens, quòd ſi Papa propter notoria ſua crimina ſcandalizaret eccleſiam, & corrigentem ac corripientem contemneret, profectò ex præmiſſis hæreſis ſuſpicionem incurreret: propter quam uocari poſſet, reſponſu-
23 rus de fide. Sed (ſicut diximus) infirma & debilis eſt ratiocinatio. quoniam non ob quodcunque delictum, quod latiori uocabulo hæreſis nuncupatur, qualia ſunt excommunicatio, contumacia, ſimonia, & alia pleraque, poteſt Papa eccleſiæ denunciari, & ab ea iudicari; ſed ob eam, quæ uera eſt hæreſis, circa fidei articulos errorem continens, ex ſententia glo. in c. Siquis pecunia. LXXIX. diſt.

24 Non diſplicet ſententia Gemin. in illam gl. c. Si Papa. ex dictis Oſtien. in c. Magnæ. de uoto. & in c. Per tuas. qui diſtinguendo dixit, quòd aut Papa peccando facit contra legem poſitiuam, &, cum ſupra illam ſit, ea de cauſa nec denunciari poteſt eccleſiæ, nec iudicari: aut peccat in legem diuinam, & articulos fidei; & tunc ſi crimen notorium ſit, & ſcandaloſum uniuerſali eccleſiæ, moneri poterit per quemcunque inferiorem, ſecundum glo. ibi. quòd ſi crimen nec notorium nec ſcandaloſum ſit, pro dubio habet, an Papa moneri poſſit, ut ſe corrigat, & ſe

emendet : et fieri posse uidetur secundum euangelicam legem, cui Papa subditus est, sicut & alii Christiani. XI. q. I. c. Ad mensam. Si autem quæratur, nunquid Papa moneri possit de occulto crimine ex lege euangelica; ut si monitus non se correxerit, dicendum sit ecclesiæ, & de eo corrigi & emendari; & dicit, quòd non: quoniam quando crimen est occultum, deest iudex, cui denunciari possit, ut se corrigat & emendet, non ut eum puniat, secundum ueriorem sententiam: cum euangelica monitio, officium sit charitatis, non iurisdictionis: quod etiam inferior facere potest.

Romanus pontifex concilio se submittere non potest, ab eo iudicandus. Cap. XXVI.

SECVNDO subsequitur ex eo, quòd Rom. pontifex superior sit concilio, quòd nec sponte, concilii, aut alterius iurisdictioni se submittere potest, ab eo iudicandus: quoniam causam superiori reseruatam, nemo potest alteri committere. Iudicium autem in summum pontificem fore deo reseruatum, satis constat ex c. Aliorum. IX. q. III. & aliis iuribus sæpius citatis. et quemamodum clericus non potest iurisdictioni alterius se subiicere. c. Significasti. de foro comp. etiam si foret iudex eccle-

ecclesiasticus; sine sui episcopi licentia: nec potest consentire, ut quis eum percutiat, quin sententiam excommunicationis incurrat; ex eo quòd nemo potest iuri publico derogare. c. Si diligenti. de foro comp. sic nec Papa poterit se alterius iudicio submittere: quoniam hoc esset iuri publico derogare, & apostolicæ sedis priuilegio, in fauo-
1 rem ecclesiæ concesso. Quin potius hæc inuicem pugnant, quòd quis sit Papa, & alteri subiiciatur: quia si Papa nemini subiicitur, si cui subiicitur, non est Papa; & aliud incongruum sequeretur; quòd idem foret seipso inferior: quia si superior est ei, cui submittitur respectu eiusdem erit superior, & inferior, per regulam, Si uinco uincentem te. Propte-
2 rea dixit sanctus Tho. in IIII. dist. XIX. quòd licet Papa, uel episcopus in foro conscientiæ posſit alteri committere absolutionem, quam sibi ipse impartiri non potest, quòd confesſionis iudicium dei, non hominum sit: non tamen potest alteri concedere ut in exteriori foro utatur in eum clauium potestate, eum excommunicationis censura innodando. Quæ confirmantur ex eo, quod dixit idem sanctus Tho. Quolib. ult.
3 quòd uicarius non potest uniuersam suam iurisdictionem transferre, licet in sui auxilium posſit particularem commisſionem fa-

cere. quoniam præsumptio est, uoluisse superiorem eum uti sua potestate: permittere tamen, si onere grauatur, partem oneris alteri demandare, non autem totum. quia aliàs uicarius uicarium daret: quod iura inhibent. Sic Papa episcopos in partem solicitudinis uocat, nunquam integram potestatem committit: quod faceret, si alteri sui ipsius iudicium committeret, se illi subdendo. Episcopos autem uocatos in partem solicitudinis, habetur in c. Decreto. II. q. VI. & in c. Ad honorem. de aucto. & usu pallii.

4 Deinde alia ratione probatur, Papam se alteri submittere non posse: quoniam cum sententiæ debeatur executio l. Minorem XXV. annis. ff. de mino. l. Si prætor. ff. de iudi. elusorium foret iudicium, si a submissione resiliendo, nollet illam executioni mandari. Nemo enim eum nolentem, & iurisdictionem suam resumentem cogere posset: cum ex submissione, supremam potestatem a se non abdicauerit, licet per renunciationem se in ordinem redigendo, alteri se subiicere posit. c. I. de renunc. lib. VI. quoniam eo casu desineret esse pontifex.

5 Nec repugnat his, quæ dicta sunt; quòd se purgauerint, Pascalis primus de imputata cæde, coram XXX episcopis: Damasus de adulterio coram XLII. & Leo IIII. co-

ram concilio, quòd in ſubditis iuſtæ legis tramitem non obſeruauerit. c. Mandaſtis. c. Auditum. II. q. IIII. c. Nos ſi incompetenter. II. q. VII. quia reſpondetur, illis caſibus non ſe ſubmiſiſſe dictos pontifices, niſi ex quadam modeſtia & humilitate, non in iudices agnoſcendo, ſed ut teſtes ſuæ innocentiæ inuocando & adhibendo: quod fit in canonica purgatione. quod denotant uerba Leonis ad concilium, cum dixit:
» Ego Leo pontifex ſanctæ Romanæ eccle-
» ſiæ, purifico me in conſpectu ueſtro, coram
» deo, & angelis eius; quia iſtas criminoſas
» & ſceleratas res, quas illi mihi obiiciunt, nec
» perpetraui, nec perpetrare iuſsi: hoc autem
» faciens, non legem præſcribo cæteris, qua id
» facere cogantur. & habentur in c. Auditum. II. q. IIII. & uerba Xiſti, quæ habentur in c. Mandaſtis. ead. cau. & q. cum
» dixit: Facto concilio cum magna exami-
» natione ſatisfaciens omnibus, licet euadere
» aliter potuiſſem, ſuſpicionem tamen fugi-
» ens, coram omnibus me purgaui, ſcilicet a
» ſuſpicione & æmulatione me liberans; ſed
» non aliis, qui noluerint, aut ſponte hoc
» non elegerint, faciendi formam dans.
» Quæ uero Leo dixit: Nos ſi incompe-
» tenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſtæ
» legis tramitem non conſeruauimus, ueſtræ

» ac ueſtrorum uolumus emendare iudicio; quæ uerba iudicium, non purgationem denotare uidentur. ſed interpretanda ſunt, iudicio, ideſt, diſcretioni; quia ſcilicet offerebat ſe ad eorum diſcretiuum iudicium emendare, & non de iudicio contentioſo: quia dixiſſet, uolumus emendari, non, emendare: adeo quòd correctio nulli uidetur conceſſa: quod denotant uerba Leonis ſupra recitata, purgationem, non iudicium.

6 Minus etiam repugnant, quæ habentur in c. Adrianus. LXIII. diſt. ubi Adrianus, propter hæreticorum, & tyrannorum uitandos terrores, ſe & uniuerſam eccleſiam Carolo imperatori ſubiecit, quoad apoſtolicæ ſedis ordinationem, & epiſcoporum inueſtituras: & idem Leo Othoni, ut habetur in c. In ſynodo. ead. cau. quoniam ex indultis illis, & priuilegiis non ſubſequitur, Carolum, aut Othonem iuriſdictionem habuiſſe in Romanum pontificem: etſi ipſius electio non niſi ex eorum approbatione rata haberetur: ſicut nec in præſens Cardinales, ad quos translata eſt auctoritas eligendi Romanum pontificem, ex eo ſunt illius iudices, aut ſuperiores.

7 Poſtremo nec obſtat l. Eſt receptum. ff. de iud. diſponens ſuperiorem iudicem prorogare poſſe iuriſdictionem iudicis inferio-

ris. quoniam id intelligi debet, quando inferior capax est iurisdictionis. At nullus capax est iurisdictionis in Ro.pontificem. Alii respondent, quòd l. Est receptum, loquitur in magistratibus, qui etsi forent de superioribus, ipsi tamen superiores habent, qui eos cogere possent, si recusarent stare decreto iudicis, cui se submisissent. At nullus compelleret Papam, si recusaret stare sententiæ eius, cui se submisisset: propterea nec ulli se submittere potest.

8 Si tamen fuerint duo, aut plures de pontificatu contendentes, fatentur Doct. in c. Ecclesia. de constit. & in c. Cum super. de cau. possess. & propr. fieri posse submissionem per c. Si duo forte contra fas. LXXIX. dist. quoniam ex submissione non iudicatur Papa, sed penes quem sit Papalis dignitas.

Ad Romanum pontificem spectat, confirmare decreta, & acta sacrorum conciliorum. Cap. XXVII.

1 TERTIO ex præmissa superioritate subsequitur, quòd ad Rom. pontificem spectat, confirmare statuta, & ordinationes sacrorum conciliorum: quoniam superior est, qui confirmat acta inferiorum. c. I. & II. de confir.util. uel

inutil. l. fi. C. de legi. not. recentiores in c. 1. de treug. & pace. propterea dixit Ostien. in c. Qualiter . el II. de accusat. concilium non confirmare constitutiones, sed approbare; ad Papam uero pertinere confirmationes. quoniam confirmatio actus est superioritatis : proinde plura concilia postularunt acta sua confirmari a Romano pontifice. Patres enim Niceni concilii postularunt acta sua confirmari a beato Siluestro, de

» quo extat epistola his uerbis : Beatissi-
» mo episcopo urbis Romæ, cum omni re-
» uerentia colendo, Osius, episcopus pro-
» uinciæ Hispaniæ ciuitatis Cordubæ,& Ma-
» carius, episcopus ecclesiæ Constantinopo-
» litanæ, & Victor, & Vincentius presby-
» teri ex directione urbis Romæ, & cæteri
» episcopi CCCXVIII. in domino salutem.
» Quoniam omnia corroborata de diuinis
» mysteriis ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad ro-
» bur pertinent sanctæ ecclesiæ catholicæ &
» apostolicæ, ad sedem tuam explanata, &
» de græco in latinum redacta scribere confi-
» temur : nunc itaque ad uestræ sedis augmen
» tum occurrimus roborari . itaque constat
» uestra apostolica doctrina totius uestræ apo
» stolicæ urbis in unum conuenire, uestrum-
» que habere consilium, sicut docet mystica
» ueritas : & deinde quicquid statuimus in Ni

» ceno concilio, precamur ut uestri oris con-
» sortio roboretur. Confirmationis autem
» decretum fuit: Siluester, episcopus catho-
» licæ & apostolicæ sedis, præsul urbis Ro-
» mæ, quicquid in Nicena lychina constitu-
» tum est ad robur sanctæ matris ecclesiæ ca-
» tholicæ & apostolicæ, a sanctis sacerdoti-
» bus CCCXVIII. nostro ore consortes fir
» mamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere
» definitionē sancti magni concilii, quod apud
» Niceam congregatum est sub præsentia piis
» simi, & uenerandi principis Constantini Au
» gust. anathematizamus. De Ephesino con
cilio testatur Aymarus lib. de synodis, quòd
in eo legati apostolicæ sedis, beatissimus Cy
rillus, & Arcadius episcopus, ex Italia, ui-
ce Celestini Papæ, præfuerant, & ipsum
apostolica auctoritate roborarunt. Ex ge-
stis etiam eiusdem synodi habetur, quòd
Theodosius iunior, ad perfectionem diui-
nitus statutorum, petiit apostolicæ cathe-
dræ apponi confirmationem. Sub Euse-
bio Nicomedieñ. episcopo Arriano, XC
episcopi Antiochiæ conuenere, qui Iulio
scripsere, ut acta a se rata haberet, & loco
damnatorum in episcopos ordinatos confir
mare dignaretur. quod nequaquam fecis-
sent, nisi ab omnibus receptum fuisset, abs-
que Rom. pontificis confirmatione factas

ordinationes non subsistere. De quibus etiam refert Amianus Marcellinus lib. XV. de Constantio Cæsare, quòd cum iam cognosceret Athanasium eiectum a sua sede per synodum hanc episcoporum, adhuc ardenti desiderio nitebatur id fieri per Liberium urbis Romæ, credens (inquit Amianus) minus ratum quod fiebat per synodum, nisi auctoritate, qua potiuntur æternæ urbis episcopi, firmaretur.

In Chalcedoneñ. uero concilii actione X. legitur: » Postulantibus iudicibus, ut » doceret synodus, quid placeret de Iba epi- » scopo, quia missi apostolici semper in sy- » nodis prius loqui & confirmare sunt soli- » ti: uicarii apostolici per Paschasinum dixe- » re &c. Et in relatione eiusdem synodi de » gestis in ea, cuius exordium est: Reple- » tum est gaudio os nostrum, & lingua no- » stra exultatione; professa est synodus Leonem Papam præfuisse synodo, sicut membris caput, petiitq; acta synodi confirmari.

Legitur etiam in actis eiusdem Chalcedoneñ. concilii, epistola Martiani & Valentiniani Aug. ad Leonem archiepiscopum » apostolicæ ecclesiæ, his uerbis: Miramur » maxime quòd post synodum Chalcedonen » sem, & literas uenerabilium episcoporum, » quæ ad tuam deo amicitiam missæ sunt, per

» quas omnia in ipſa facta uobis renuncia-
» runt, nequaquam a tua ſanctitate literæ miſ-
» ſæ ſunt; quæ uidelicet in ſanctiſsimis eccle-
» ſiis ad omnium notitiam peruenirent: quod
» quorundam animabus, quæ Euthicis adhuc
» prauam opinionẽ ſectantur, ambiguitatem
» immiſit, utrum ſcilicet tua beatitudo ea, quæ
» in ſynodo ſancta edita ſunt, confirmauerit.
» Quapropter ueſtra reuerẽtia ſuas literas mit
» tere dignetur; per quas omnibus eccleſiis &
» populis notum ſit, uniuerſa quæ in ſancta ſy
» nodo geſta ſunt, à tua beatitudine eſſe con-
» firmata. & infra, Nouerit autem tua deo
» amicitia, catholicam & uere orthodoxam fi
» dem Chalcedoneñ. ſynodum omnibus epi
» ſcopis conſentientibus fore ſecutam: propter
» quod & tua uenerabilitas ſuas proprias &
» ſpeciales literas uelociſsime mittere digne-
» tur; per quas confirmare uos ipſam, quę in
» Chalcedona eſt, ſynodum manifeſtiſsime
» oſtendatis: ut illi qui eam deſiderant ignomi
» nioſam, non poſsint habere ſuſpicionem de
» iudicio tuæ ſanctitatis.

Comprobat hoc idem Aug. qui epiſtola xc. ab Inno. pont. poſtulat ſtatutis in Aphri cañ. concilio editis apoſtolicæ ſedis adhiberi auctoritatem. Quod etiam fecerunt illius ſynodi patres; qui congregati aduerſus Pelagium & Cœleſtium, poſt actorum ſynodi

relationem ad eundem Innocentium dixere, ,, Hæc gesta, domine frater, charitati tuæ ,, duximus intimanda, ut statutis nostræ me-,, diocritatis apostolicæ sedis adhibeatur aucto ,, ritas, pro tuenda salute multorum, & quo-,, rundam etiam peruersitate corrigenda.

Rationem huius confirmationis dedit synodus Romæ coacta sub Symacho pont. cuius uerba recitantur in c. Bene quidem. » XCVI. dist. cum dicitur, Si cuiuslibet pro-» uinciæ sacerdotes, inter suos terminos con-» cilio habito, quicquid sine Metropolitani » sui auctoritate tractauerint, irritum esse de-» bere sancti patres sanxerunt; quanto magis » quod in apostolica sede stante præsule, qui, » merito beati Petri apostoli, per uniuersum » orbem primatum obtinens, statutis synoda » libus consueuit tribuere potestatem.

Ex gestis etiam septimæ synodi legitur, quôd Tarasius, ecclesiæ Constantinopolitanæ præsul, integrum processum eiusdem synodi summo pontifici retulit, ut concilium sua auctoritate confirmaret, asserens se id agere, quod mos erat aliorum conciliorum.

Citemus cum his D. Hieronymum, qui » aduersus Luciferianos inquit, Conatus est » beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec » de aliena aqua bibere: & iccirco hæretico-

» rum baptiſma approbans, ad Stephanum
» urbis Romæ epiſcopum, qui a Petro uige-
» ſimus ſextus fuit, ſuper hoc Aphricanam ſy
» nodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit,
» non probante hoc ipſum apoſtolica ſede.
His igitur teſtimoniis ſatis conſtat, ad Rom. pontificem ſpectare acta ſacrorum conciliorum confirmare. Nec his obſtat, quòd humana non egeant confirmatione, quæ inſtinctu ſpiritus ſancti geſta ſunt; ſicut quæ ſuperioris ſunt, non egent inferioris confirmatione. conciliorum autem canones ſpiritus ſancti inſtinctu conditos eſſe, docemur Act. XV. Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, &c. Violatores. XXV. q. i. quoniam non omne quod ſpiritus ſancti illuſtratione fit, omnes obligat ad ſui obſeruantiam: ſed opus eſt, ut inſtituatur, uel approbetur ab eo, qui habet auctoritatem. quemadmodum electiones ſpiritus ſancti inſtinctu factæ cenſentur; nec tamen ratæ habentur, niſi à ſuperiore comprobentur. Vel dicatur, opus eſſe confirmatione, ut ab habente auctoritatem legis condendæ, exhibeatur teſtimonium per confirmationem, quôd inſtinctu ſpiritus ſancti ſint decreta, ſicut de
» euangelio dixit Auguſtinus, Non crederem
» euangelio, niſi eccleſia atteſtaretur illud eſſe
» euangelium.

Ad Rom. pont. ſpectat, perperam celebrata concilia damnare. Cap. XXVIII.

QVARTO ex Rom. pontificis ſuprema auctoritate, & ex his, quæ dicta ſunt, ſubſequitur, quòd quemadmodum ad Rom. pontificem pertinet, acta & decreta conciliorum confirmare: ſic ad eundem pertinere debet, ea concilia, quæ in fidei perniciem, aut eccleſiæ perturbationem celebrata fuerint, infirmare, corrigere, reprobare, & caſſare: quemadmodum Damaſus damnauit, & irritum fecit Arimineñ. concilium, & Leo primus Epheſinum ſecundum.

Idem confirmat quod legimus in actis octauæ ſynodi de Nicolao pont. his uerbis,
» Tunc cognoſcens quæ fecerat Photius con-
» tra Ignatium, & ſcrutans omnia, fecit ſyno
y dum, & conuocauit omnes occidentales epi
» ſcopos, archiepiſcopos, Metropolitas, &
» omnem clerum ſanctæ Rom. eccleſiæ, at-
» que totum ſenatum principum Romano-
» rum, & damnauerunt Photium, & conci-
» lium malignantium, quod factum eſt aduer
» ſus ſanctum uirum Ignatium &c. De quo
idem Nicolaus in epiſtola ad archiepiſcopos
Metropolitas, & epiſcopos Conſtantinopo
» litanæ ſedis dixit, Necnon & patrum, &

» prædecessorum nostrorum secuti uestigia,
» qui soliti sunt etiam uniuersorum concilia
» nequiter celebrata cassare pontificum. Nicolao uero uita functo, synodus Romæ coacta ad Adrianum II. Nicolai successorem dixit,
» Quapropter oramus te, angelice Papa, ut eundem habens spiritum, eundemq́; zelum pietatis, quem & fratres tui feruentissimi præsules, conciliabulum cum gestis suis, quod Constantinopoli nuper contra ueritatem sub tyrannice imperante Michaele congregatum est, ita sententiæ uestræ falce rescindatur, ut nullum de eo monimentum, nullum de eo remaneat omnino uestigium: sed ad sui damnationem Ariminen. synodo, & Ephesino latrocinio sit omnino comparandum. Cui Adrianus respondit,
» Conciliabulum uanitatis a Photio, & huius fautore, Michaele scilicet, tyrannice imperante, Constantinopoli aduersus apostolicæ sedis reuerentiam & priuilegium congregatum, utpote ueritatis inimicum, & omni falsitate repletum, quod & sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum esse statuimus: & ipsius execranda gesta, quibuscunque habeantur monimentis inserta, summi iudicis, Iesu Christi, sanctorumq́; principum apostolorum, Petri & Pauli, & nostræ mediocrita

» tis auctoritate penitus abolenda decerni-
» mus, ita ut igni uoranda tradantur, &
» anathemate perpetuo percellantur.

His etiam astipulatur Greg. qui (ut in registro habetur) in epistola ad Eulogium &
» Anastasium episcopos inquit, Ante hos
» quidem annos octo, sanctæ memoriæ Pela
» gii, prædecessoris mei, tempore, frater &
» coepiscopus noster, Ioannes, in Constanti
» nopolitañ. urbe, ex alia causa occasionem
» quærens, synodum fecit, in qua se uniuersa
» lem episcopum appellare conatus est: quod
» mox ipse decessor meus ut agnouit, directis
» epistolis, sancti Petri apostoli auctoritate,
» eiusdem synodi acta cassauit. Quod ipse Pelagius attestatus est in epistola ad uniuersos episcopos per Dardaniam constitutos: quam supra citauimus, dum disseruimus de superioritate Roma. pontificis.

Ad Rom. pontificem spectat ambiguitates declarare, quæ super conciliorum decretis orirentur. Cap. XXIX.

QVINTO ex huiusmodi Rom. pontificis suprema auctoritate sequitur, ad Rom. pontificis officium pertinere, declarare ambiguitates, quæ de conciliorum decretis orirentur. Ad superiorem enim pertinet, dirimere controuersias, quæ

ſuper geſtis inferiorum oriuntur: quod declarauit Gregorius, & habetur in c. Nec licuit XVII. diſt. his uerbis: Quoties aliqua
„ de uniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio na
„ ſcitur; ad recipiendam de eo, quod non in-
„ telligunt, rationem, ad apoſtolicam ſedem
» pro recipienda ratione conueniant.
» Idem comprobatur ex eo, quod habe-
» tur in c. Sicut enim. §. Ex his. XI. q. I. cum
» dicitur, Sicut enim ſolus ille habet ius in-
» terpretandi canones, qui habet poteſtatem
» condendi eos: ita ille ſolus ciuilium legum
» debet eſſe interpres, qui eis ius & auctorita-
» tem impartitur. Et in. §. His omnibus.
» XXV. q. I. habetur, Sancta Rom. eccleſia
» ita canonibus auctoritatem præſtat, ut ſeip-
» ſam non ſubiiciat eis: ſed ſicut Chriſtus qui
» legem dedit, ipſam legem carnaliter imple-
» uit, octauo die circunciſus, quadrageſimo
» die in templo cum hoſtiis eſt præſentatus;
» ut in ſeipſo eam ſanctificaret. poſtea uero,
» ut ſe dominum legis oſtenderet, contra le-
» gis literam leproſum tangendo mundauit;
» apoſtolos quoque contra literam ſabbato
» per ſata prætergredientes, ſpicas uellentes,
» & confricantes manibus ſuis, probabili ex-
» emplo Dauid, & circunciſionis, & templi,
» excuſauit dicens: Non legiſtis quid fecerit
» Abimelech, quando uenit ad eum Dauid.

» & dedit ei panes propoſitionis; de quibus
» non licebat edere, niſi ſolis ſacerdotibus: &
» comedit ipſe, & pueri eius? Fuerunt enim
legis interpretationes, quod declarat repeti-
tum uerbum contra literam: poterit itaque
& uicarius ſuus, cui plenam in terris dedit
poteſtatem, dubia legis, ſiue concilii, ſiue
prædeceſſorum ſuorum interpretari.

Prædicta comprobauit ſanctus Tho. in
quæſtionibus de potentia, quæſtione x. ar.
» IIII. cum dixit, quòd ſicut poſterior ſyno
» dus poteſtatem habet interpretandi ſymbo-
» lum à priori ſynodo editum, aut aliqua ad-
» dendi ad illius explanationem: ita Roma-
» nus pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, &
» à quo ſententia ſynodi confirmatur, & à ſy
» nodo appellatur. Quæ omnia patent ex ge
» ſtis Chalcedonen. ſynodi: nec eſt neceſſa-
» rium, quòd ad eius explanationem facien-
» dam uniuerſale concilium congreget: cum
» quandoque id fieri prohibeant bellorum
» diſsidia, ſicut in ſexta ſynodo legitur, quòd
» Conſtantinus Aug. dixit, quòd propter im
» minentia bella uniuerſaliter epiſcopos con-
» gregare non potuit: ſed tantum illi, qui
» conuenerant, quædam dubia in fide exor-
» ta, ſequentes ſententiam Agathonis, deter-
» minauerunt, ſcilicet quòd in Chriſto ſint
» duæ uoluntates, et duæ actiones. Similiter

patres

» patres in Chalcedoneñ. synodo congregati,
» secuti sunt sententiam Leonis Papæ; qui
» determinauit Christum esse in duabus natu
» ris post incarnationem. Hæc sanctus Tho.

Romanus pontifex potest dispensare super decretis conciliorum. Cap. XXX.

SEXTO, ex suprema Romani pontificis auctoritate subsequitur, ad Romanum pontificem pertinere dispensationem super decreta per sacra con
1 cilia: quod ex hoc etiam deducitur, quoniam in quacunque repub. ut recte gubernetur, opus est auctoritate dispensandi in legibus eius; quæ cum institutæ sint ad regulandum humanas actiones, quæ plures recipiunt uarietates & uicissitudines, non possunt in omni casu obseruari. Propter quod Aristoteles VII. Ethic. dixit, in principe uirtutem ἐπιείκειαν requiri, quam nos æquitatem & moderationem dicimus: ut, si qua eueniunt, in quibus cognouerit non expedire reipub. legem seruare; recedendo a uerbis legis, quod æquum & bonum fuerit, decernat: ne quod in uniuersum iustitia foret, fiat particulari casu iniuria; propter quod dicitur ecclesiast. VII. Noli esse iustus multum: neque plus sapias quàm necesse est. ne scilicet plerunque sub

auctoritate iuris perniciose erremus. Cum itaque plura ad utilitatem et bonum reipub. quandoque uergerent in eius damnum, & perturbationem, tunc à legibus deflectendum
2 est ad facilitatem, & æquitatem. Hinc Gelasius dixit, & habetur in c. Necessaria. I. q. VII. Necessaria rerum dispensatione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine conuenimur, sic canonum paternorum decreta librare, ut ea quæ præsentium necessitas temporum in restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, diligenti consideratione, quantum potest fieri, temperemus. Et Innoc. in eo, quod sequitur c. inquit, Quod pro remedio arcta necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse. Quod ergo necessitas pro remedio reperit; cessante utique necessitate, debet cessare pariter quod urgebat. Hinc etiam Leo III. & habetur in c. Requiritis. ead. cau. & q. dixit, se in patrum sententias conuenire, nisi rigor disciplinæ quandoque relaxaretur ex dispensatione misericordiæ; subiiciens: Multorum enim crimina sunt damnabilia; quæ tamen ecclesia tolerat pro tempore, intuitu personæ pietatis, aut utilitatis. Et in c. Sicut. XIIII. dist. habetur, Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli; ita multa

» ſunt, quæ aut pro neceſsitate temporum,
» aut pro conſideratione ætatum oporteat
» temperare.

Romanus pontifex poteſt conciliorum decreta abolere, & reuocare. Cap. XXXI.

SEPTIMO, ex ſuprema Romani pont. in eccleſia auctoritate ſubſequitur, quòd non ſolum poteſt interpretari canones, quod non eſt tollere obligationem canonis; ſed declarare præcipientis intentionem: ne dum poteſt in ſacris canonibus diſpenſare, quod eſt illos tollere in particulari caſu; ſed etiam reuocare, & irritos facere, quod eſt obligationem tollere quoad omnes, ſi ratio temporum ſuaderet, quòd non expediret reipublicæ illos obſeruare, ut habetur in c. Non de-
1 bet. de conſang. & affin. quemadmodum Ezechias confregit ſerpentem æneum; quẽ dominus mandauerat exaltari in deſerto, ut in eum aſpicientes ſanarentur à morſibus ſerpentum; cum filii Iſrael poſtea adolerent incenſum. IIII. Reg. cap. XIII. Cum enim eius ſit deſtruere, amouere, & abrogare, cuius eſt condere l. 1. C. de leg. & c. Cum ueniſſent. de in integ. reſtit. & ad Romanum pontificem ſpectet iura condere, & à conciliis editis conſtitutionibus

robur tribuere, ſequitur ad eundem ſpe-
ctare, illa tollere & abrogare. Et, cum (te
ſte Ariſtotele primo lib. de anima, & pri-
2 mo Ethicorum) certitudinis ueritas uarie-
» tur ſecundum rerum uarietatem; & omnis
» menſura regulatiue dicatur ad menſuratum;
» non opus eſt, nec fieri poteſt, ut omnis
» menſura aut regula ſit æqualis certitudinis,
» aut firmitatis, nec omnes poſſunt eſſe infal
» libiles; ſed quantum poſsibile eſt in ſuo ge
3 nere. Et ideo cum in regulanda lege huma-
» na ſint contingentia ſingularia, multiplici-
» ter uariabilia, non poſſunt leges humanæ
» habere illam immutabilitatem, quam ha-
» bent principia prima in ſpeculabilibus: im-
» mo propter huiuſmodi rerum uariabili-
» tatem, quibus oportet menſuras & regu-
» las coaptari, ad ſalutem reipublicæ eſt ne-
» ceſſarium ipſas mutabiles fore: cum lex,
» quæ tempore uno eſt iuſta & utilis, alio
» tempore ſeruata eſſet iniuſta & nocua. Ideo
4 dixit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ.
» q. LVII. quòd rectum in rebus corpora-
» libus non dicitur abſolute, ſed in ordine ad
» utilitatem communem; cui non ſemper
» proportionatur una & eadem res. et ideo ta
» lis rectitudo mutatur. Hinc dixit Aug. lib.
» primo de libero arbit. quòd lex temporalis
» quamuis iuſta ſit, mutari tamen per tem-

pora iuste potest.

Nec his obstat quod habetur in c. Sicut. XV. distinct. ubi beatus Gregor. inquit:
» Sicut sancti euangelii quatuor libros, sic
» quatuor concilia suscipere & uenerari me
» fateor. et deinde, Cunctas uero perso-
» nas, quas prædicta ueneranda concilia re-
» spuunt, respuo: & quæ uenerantur, am-
» plector: quia dum uniuersali consensu sunt
» constituta, consensu se & non illa destruit,
» quisquis præsumit absoluere quos ligant,
» aut ligare quos absoluunt. quoniam non sequitur, Roman. pontificem mutare, aut abrogare non posse statuta uniuersalium conciliorum: quia de his intelligenda sunt, quæ sancita fuere ad declarationem articulorum fidei. Similiter quod habetur in c. Sancta octo uniuersalia concilia. XVI. distinct. ubi enumeratis octo uniuersalibus conciliis, subsequitur in professione Rom.
» pontificis, quòd promittit illa usque ad u-
» num apicem inuiolata seruare, & pari ho-
» nore & ueneratione habere: & quæ statue
» runt & prædicauerunt, modis omnibus se-
» qui: & quæcunque damnauerunt, ore &
» corde damnare; intelligendum est de his, quæ pertinent ad articulos fidei, ad generalem statũ uniuersalis ecclesiæ, & ad ea quæ ad æternam salutem sunt necessaria. Et hoc

modo interpretandum, quod habetur in §. Hoc autem. dist. XIX. secundum Archid. in eum locum; qui dixit, Aliter non approbo quod dicit magister hic. Propterea sanctus Tho. in tract. contra impugnan. religio. c. respondens ad illud Zozimi Papæ, quod habetur XXV. q. I. Contra statuta patrum condere aliquid, uel immutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas; dicit,
» id uerum in his, quæ statuta patrum declararunt esse de iure diuino, sicut fidei articuli, qui determinati sunt per concilia: sed illa quæ sancti patres determinarunt esse de iure positiuo, relicta sunt sub dispositione Papæ, ut posit illa commutare, uel in eis dispensare secundum opportunitatem temporum, uel negociorum. Sancti enim patres in conciliis congregati, non potuissent aliquid statuere, nisi auctoritate summi pontificis interueniente: sine qua etiam congregari non potest. Nec tamen Papa quando aliquid facit aliter, quàm statutum est; facit contra statuta: quia seruatur intentio statuentium, quæ est utilitas ecclesiæ; sicut & in omni iure positiuo accidit. Derogatur enim prioribus statutis per statuta sequentia. Hæc sanctus Thomas. Quapropter licet uiolatores canonum reprehendendi sint, & damnandi c. Violatores. XXV.

q. I. Romanus tamen pontifex; ſi illa utilitate uel neceſsitate urgente reuocauerit; nec uiolator dici poterit: quandoquidem omnis abſit uis, ſi adſit reuocationis cauſa. Quomodo etiam intelligendum eſt, quod dixit Leo primus in epiſtola ad Martianum imperatorem, de Nicenis canonibus, quòd ii nulla poſſunt probabilitate conuelli, nulla nouitate uiolari; ſubiiciens, In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum: quoniam diſpenſatio mihi credita eſt; & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ ſpiritu dei inſpirante ſunt conditæ, me (quod abſit) conueniente uiolentur.

S Nec etiam præmiſsis obſtat quod habetur in c. In iſtis IIII. diſt. ex Auguſt. lib. de
» uera relig. cum dixit: In iſtis temporali-
» bus legibus, quanquam de eis iudicent ho-
» mines, cum eas conſtituunt: tamen, cum
» fuerint inſtitutæ, non licebit iudici de ipſis
» iudicare, ſed ſecundum ipſas. quoniam non id de legum conditoribus, nec de eorum maioribus intelligitur, ſed de inferioribus, qui parere tenentur, nec legi aderſari poſſunt: at legum auctores, & eorum maiores, ſi quod prius utile fuit, deinceps uer-

gat in detrimentum & incommodum reipublicæ, reuocare poſſunt etiam multa ratione ſancitam legem: cum eius ſit deſtruere, amouere, & derogare, cuius eſt condere. l. 1. C. de leg. et c. Cum ueniſſet. de in integ. reſtit.

DE OFFICIO PRINCIPIS CHRISTIANI IN ECCLESIA.



X quatuordecim conditionibus boni principis, quas posuit Augustinus libro V. de ciuit. dei. cap. XIIII. colligi potest, quod sit principis officium, cum inquit: Reges felices dicimus, si iuste imperat, si inter linguas sublimiter honorantium & obsequio nimis humiliter salutantium non extolluntur: si se homines esse meminerint, si sua potestate ad dei cultum maxime deputanda maiestati eius famulatum faciant, si deum timeant, diligant, & colant: si plus amant id regnum, ubi non timent habere consortes: si tardius uindicant, facile ignoscant. Si uindictam pro necessitate regendæq; tuendæq; reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exercuerint: si ueniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod aperte coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate beneficiorumq; largitate compensant: si luxuria in eis est tanto castigatior quanto pos-

ſit eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus pra uis quàm quibuslibet gentibus imperare: ſi hæc omnia faciant non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter claritatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis humilitatis & miſerationis ſacrificium deo uero immolare non negligant.

Secundo, officium principis eſt ut ſit cultor iuſtitiæ: propter quod per Moyſem Deuter. XVII. monuit deus reges quòd poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in uolumine accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq; illud omnibus diebus uitæ ſuæ, ut diſcat timore dominum deum ſuum, & cuſtodire uerba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt, nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram uel ſiniſtram: ut longo tempore regnet ipſe & filii eius.

Hinc pſaltes cecinit pſal. II. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur dominus; & pereatis de uia iuſta. quod expoſuit Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium comitem cum dixit. Quomodo ſeruiunt domino cum timore,

nisi ea quæ contra domini iussa fuerint, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo ? aliter enim seruit, quia homo est, aliter etiam quia rex est. quia homo est, seruit uiuendo fideliter, quia rex est seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti rigore sanciendo. & habetur in c. si ecclesia XXIII. q. IIII.

Hinc Esaias cap. XXXII. uaticinatus est. Ecce in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt.

Hinc Salomon in principio regni sui postulauit a domino sapientiam ad regni directionem, & subditorum utilitatem. ut habetur III. regum. subiiciens Moyses: Nec eleuetur cor eius in superfluum super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, neque in sinistram.

Hinc sapientiæ VI. habetur: Ad uos reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis: quia qui custodierint iusti tiam iuste iudicabunt, & qui didicerint iusta, inuenient quæ respondeant.

Hinc comminatur Salomon, siue quisquis fuerit libri Sapientiæ auctor, eo cap. regibus non custodientibus iustitiam: Audite ergo reges & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures uos qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis

nationum, quoniam data eſt a domino poteſtas uobis, & uirtus ab altiſsimo, qui interrogabit opera ueſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum uoluntatem dei ambulaſtis; horrende, & cito apparebit uobis: quoniam iudicium duriſsimum in his qui præſunt fiet. exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta ſuſtinebunt. Et de his regibus habetur Oſeæ cap. VIII. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.

Hinc dixit Hieronymus in librum Numer. & habetur in c. Si ergo. XVIII. q. i. Gubernatio populi illi tradatur, quem deus elegit, homini ſcilicet qui habeat (ſicut ſcriptum audiſti) ſpiritum dei in ſemetipſo, & præcepta dei in conſpectu eius ſint, & qui Moyſi ualde notus & familiaris ſit, id eſt, in quo ſit claritas eius legis & ſcientia, ut poſsint eum audire filii iſrael.

Tertio, ſicut deus, qui eſt rex regum, & dominus dominantium, cuius uirtute principes imperant; non regit & gubernat nos propter ſeipſum, ſed propter noſtram ſalutem: ſic ad officium principis ſpectat, bonum ſubditorum principaliter intendere. qui enim pro-

priam utilitati populi præferunt, non boni principes, ſed tyranni habentur: cum regnum imperium ſit ſuapte natura paternum, & patris ſocietas ad filios, cui noti ſunt curæ regni præſe ferat effigiem. Proptera Homerus Iouem patrem appellat, ut dixit Ariſt. VIII. ethi. Sed quid ethnicorum utor teſtimonio? cum Chriſtus ſaluator & deus noſter in dominica oratione docuerit nos deum appellare patrem. Aſsimilari etiam debet princeps paſtori, ut quemadmodum paſtor ouium, ſic ipſe debet ſubditorum habere curam, ut bene ſeſe habeant, ut bene operentur. Propter quod & Homerus paſtorem nuncupauit Agamemnonem. & ſanctus Thomas de regi. princip. c. IX. illud Zachar. XII. quòd in illa die beatitudinis, qua erit dominus protector habitantibus in Hieruſalem; exponit, ideſt in iuſsione pacis æternæ aliorum domus erunt, ſicut domus Dauid. ſ. omnes reges erunt, & regnabunt cum Chriſto, ſicut membra cum capite. Sed domus Dauid erit ſicut domus dei, quia ſicut regendo dei officium geſsit in populo, ita in præmio deo propinquus erit & adhærebit. Hinc illud apoſtoli ad ephe. V. Eſtote imitatores dei; præ aliis ſpectat ad principes. Et amplitudo regiæ maieſtatis in eo præcipue conſpicitur, quòd dei ſimili-

tudinem gerit, cum agit in regno, quod deus in mundo. Vnde Exo. XXII. Iudices multitudinis dii nuncupantur.

Quarto, principes seculi & si uicarii sint dei in terris, teste apostolo ad Rom. XIII. sunt tamen cõstituti uicarii in his quæ ad humanam spectant societatem. sacerdotes uero & pontifices in his quæ ad diuinum cultum. Proinde ad officium principum seculi pertinet sacerdotes dei et pontifices uenerari, ac agnoscere se illis debere reuerentiam et obedientiam in his quæ ad cultum dei et ad salutem animæ pertinent, ut qui minus digno muneri præsunt. Nec ad se pertinere putent etiam quæ ad religionem spectant: quod Augustinus lib. III. contra Cresconium grammaticum dixerit, reges deo seruire, si in regno suo bona iubeant, & mala prohibeant non solum quæ ad communem societatem, uerum etiã quæ pertinent ad religionem. Quoniam id ad principem seculi pertinet minus principaliter, in quantũ scilicet politiæ deseruit & populi concordiæ. Ad sacerdotes uero præcipue pertinet, quia homines ad æternam salutem dirigunt, uel minus principaliter, idest in subsidium. quoniam princeps tenetur curam gerere ecclesiarum, & eorum ministros ab iniuria tutari & defendere. cum ad hoc sint instituti, ut ecclesiasticã disciplinam de-

fendant. ut ſcilicet quos ſacerdotalis ſermo non corrigit, coherceat ſecularis poteſtas: ut habetur in. c. principes. XXIII. q. v. Res enim aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent & regia & ſacerdotalis defendat auctoritas, ut habetur in. c. aut. ea. ca. & q.

Hinc eſt quòd epiſcopus licite impetrat ſuæ eccleſiæ auxiliũ principis ſeculi non tam cauſa ulciſcendi, quàm tuendæ eccleſiæ ſuæ. c. Maximilianus. XXIII. q. III. exemplo Gregorii et Leonis pontificum: de quibus in c. ſi uobis §. licet ergo. XXIII. q. ult.

Hinc pertinet ad reges ſeculi chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam uelint matrem ſuam eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt: ex ſententia Auguſtini ſuper Io. ſubiicientis: Nabuchodonoſor rex decreuit dicens, Quicunque dixerit blaſphemiam in deum Sydrach Miſach & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in diſperſione. Ecce quomodo rex alienigena ſæuit, ne blaſphemetur deus Iſrael, qui potuit tres pueros liberare. Sæuiant reges Chriſtiani, quia Chriſtus exufflatur, à quo non tres pueri, ſed totus orbis terrarum cum ipſis regibus a geennarum ignibus liberantur. & habetur in c. quando XXIII.q.IIII.

Hinc in quinto Carthaginieñ. concilio

decernitur, ab imperatoribus iuſtum auxilium poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur eccleſia, ut defenſores eius aduerſus poteſtates diuitum cum epiſcoporum prouiſione deligantur: & habetur in c. ab imperatoribus ea. ca. &.q.

Hinc Pelagius ad Narſetem patritium ſcripſit: De Liguribus, Veneticis, & Hiſtris epiſcopis quid dicam? quos idonea eſt excellentia ueſtra, & ratione et poteſtate reprimere: et eos dimittitis in contemptum apoſtolicarum ſedium de ſua ruſticitate gloriari. et habetur in c. de Liguribus XXIII. q. V.

Quinto, ad officium principis ſeculi ſpectat abſtinere a iudicio in ſacerdotes: et non niſi in ſubſidium ſe immiſcere eccleſiaſticis tractatibus, exemplo magni Conſtantini; de quo legitur in c. II. libro II. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, et in c. futuram XII. q. II. quòd oblatos ſibi in Nicena ſynodo accuſationis epiſcoporum libellos (renuens in eos iudicium ſumere) igni tradidit. nec uerum ea ratione igni dediſſe, ne ea diſceptatio impedimento foret rebus de fide pertractandis, ut quidam ſomniant. Quoniam ipſe facti ſui rationem quam diximus, reddidit, cum ſubiecit, Ite, et inter uos diſponite: quia dignum non eſt, ut nos iudicemus deos.

Extat & exemplum Theodosii iunioris, qui in prima Ephesiñ. synodo dixit: Illicitum nanque est eum qui non est in ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis se immiscere tractatibus. & habetur in c. Nos ad fidem. XCVI. dist.

Martianus etiam imperator in Chalcedoneñ. concilio testatus est, se ad confirmandam fidem, non ad ostendendum potentiam synodum intrasse. & habetur eo.c. Nos ad fidem.

Quod confirmatur Ambrosii auctoritate, epistola LXXV. ad Valentinianum, contra Auxentium, cum dixit: Si scripturarum seriem diuinarum, uel ueterum tempora retractamus, quis est qui abnuat in causa fidei episcopos solere de Christianis imperatoribus, non imperatores de episcopis iudicare? Et ex eo, quod scripsit ad eundem Valentinianum, registratum in c.Conuenior XXIIII. q. VIII. cum dixit: Noli te grauare, imperator, ut putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere, sed si uis diutius imperare, esto deo subiectus. Scriptum est enim: Quæ dei deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotes ecclesiæ. publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.

Hinc Theodoricus rex in ſynodo Romæ habita contra Symachum ingenue professus eſt, nihil ad ſe præter reuerentiam de eccleſiaſticis negociis pertinere. & habetur in c. Concilia §. hinc etiam. XVII. diſt.

Hinc Conſtantinus IIII. ſextæ ſynodo ſubſcripſit, Legimus & conſentimus; non autem, Decernimus & ſtatuimus. licet aliqui arbitrati fuerint, Conſtantinum in ea ſynodo proponendo, rogando, monendo, & decernendo, præſidentis officium uſurpaſſe.

Hinc Baſilius imperator in ſermone ad ſanctam octauam ſynodum dixit: De nobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolute conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nobis nullo modo licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque reſiſtere integritati eccleſiæ, & uniuerſali ſynodo. hæc enim inueſtigare, patriarcharum, pontificum, & ſacerdotum eſt: qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi atque ligandi poteſtatem habent: qui cœleſtes adepti ſunt claues: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, uel à ligamento ſolui egemus.

Hinc ex Felicis Papæ ſententia habemus in c. Certum. X. diſt. Certum eſt rebus

uestris esse salutare, ut cum de causis dei agitur, iuxta ipsius constitutionem regiam uoluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per earum præsules potius discere, quàm docere: ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus obsequendi iura præfigere, neque in eius sanctionibus uelle dominari, cuius deus uoluit clementia sua piæ deuotionis colla submitti: ne dum mensura cœlestis dispensationis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.

Hinc Valentinianus imperator, ut refert Sedulius in libello de rectoribus Christianis; dum a sanctis episcopis rogaretur, quatenus dignaretur ad emendationem sacri dogmatis interesse synodo, dixit: Mihi, cum minimus sim de populo, fas non est talia perscrutari; uerum sacerdotes, quorum hæc cura est, apud semetipsos congregentur, ubi uoluerint.

Hinc à Ioan. eius nominis octauo, decretum fuit: Si imperator catholicus est (quod salua pace dicimus) filius est, non præsul ecclesiæ: quoad religionem discere ei competit, non docere: habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, & cuius beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis

ordinis nil usurpet. ad sacerdotes enim deus uoluit, quæ ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates. et habetur in c. Si imperator. XCVI. dist. Et Nicolaus primus ad Michaelem imperatorem rescripsit: Imperium uestrum suis reipub. quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare quæ sacerdotibus domini solum conueniunt. et habetur in c. Imperium. X dist. & in c. Denique. XCVI. distinct. dixit: Denique his, quibus tantum humanis rebus non diuinis præesse permissum est, quomodo de his, per quæ diuina ministrantur, iudicare præsumunt, penitus ignoramus. imo grauiter deliquit iurisdictionem domini usurpando, & ei uidetur iniuriam facere. II. q. I. c. Deus omnipotens. et cauere debet, ne à domino flagelletur, sicut rex Ozias. qui lepra percussus est, quòd officium sacerdotis usurpauerit: Paralip. XXVI. et habetur II. q. VII. §. Notandum. Priuilegium enim ordinis clericalis est, quòd non posit coram iudice seculari conueniri. c. Inolita. c. Placuit. XI. q. I. et priuilegium fori clericorum est de iure diuino. glo. not. in c. Si imperator. XCVI. distin. Cardinalis in repet. c. Perpendimus de sent. excommun. propter quod Rot. decis.

CCLXXX. in antiquis dixit, quòd ex nulla consuetudine quanquam uetustisſima potuit rex Angliæ acquirere iurisdictionem in clericos. de quo uidetur text. in c. I. & II. XI. q. I. & in c. Clerici. de iudic.

Sexto, officium principis indicauit nobis Hieremias c. XXII. cum dixit: Audite uerbum domini, qui sedetis super solium Dauid, tu, & serui tui, & populus tuus. Hæc dicit dominus: Facite iudicium et iustitiam, & liberate oppressum de manu calumniatoris, & aduenam & pupillum & uiduam nolite contristare. et habetur in c. Regum. XXIII. q. V. Et sapientiæ VI. comminatur dominus horrendum iudicium regibus, quoniam non fecerunt iudicium secundum iustitiam legis.

Hinc statuit Ioan. VIII. in c. Administratores ead. cau. & q. Administratores plane secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac uiduarum protectionem, rapaciumq; refrenationem constituti esse proculdubio debent, quoties ab episcopis & ecclesiasticis uiris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secundum quôd necesſitas expedierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. quòd si dei timorem præ oculis non habentes, negligere

post secundam & tertiam admonitionem inuenti fuerint, omni se nouerint communione usque ad condignam satisfactionem priuatos.

Hinc Cyprianus, libro de nouo genere abusionis. & habetur in c. Rex. ead. cau. & quæst. inquit: Rex debet furta cohibere, punire impios, perdere parricidas, & periuros non sinere uiuere, filios suos non sinere impie agere.

Hinc Hieronymus ad Macedonium non exhorruit scribere: Non frustra sunt instituta potestas regis, & cognitoris ius, ungulæ carnificis, militis disciplina, dominantis seueritas etiam boni patris. habent omnia ista modos suos, causas, rationes, utilitates. hæc cum timentur; & mali cohercentur, & boni quiete inter malos uiuunt. et habetur in c. Non frustra XXIII. q. v. ꝙ

Septimo, ad officium principis spectat & pertinet, illatas sacerdotibus iniurias, uelut crimen publicum, persequi, & de reis ultionem suscipere: ut rescripsere Arcadius et Honorius imperatores in l. Si quis in hoc genus. C. de episc. et cler.

Octauo, ad officium principis pertinet, nec agere, nec permittere episcopos, aut sacerdotes coram se ad iudicium trahi, siue ciuilis sit causa, siue criminalis. Vetitum enim fuit

a sacris canonibus in c. Christianis, et in c. Siluester. XI. q. I. ubi Gelasius inquit, contra diuinas et publicas leges fore, clericis forum suum auferri. Vetitum à legibus imperatorum. l. statuimus. C. de episc. & cler. et Marcellus Papa in c. Nullus. ead.ca. & q. decreuit quòd magistratus, qui hoc iubere ausus fuerit, amisione rerum & cinguli condemnatione plectatur.

Nono, Similiter officii principis est, nec etiam laicos cogere, aut permittere in spiritualibus causis coram se litigare, siue ciuiles sint, siue criminales. ciuiles, ut cum agitur de decimis, de primitiis, de oblationibus, de ordinibus, de matrimoniis, de censuris ecclesiasticis, de electionibus; & similibus: de quibus in Clement. Dispendiosam. & per illius interpretes, de iudic. criminales, quales sunt de sacrilegio, usura, periurio, hæresi, & adulterio, si ad tori separationem agatur: ut habetur VI. q. II. c. I. & XII. q. II. c. Nulli liceat. & aliæ plures causæ etiam iuris patronatus ratione connexitatis ad spiritualia inter spirituales computantur: ut statuitur in c. Quanto. de iudic.

Decimo, Ad principis officium spectat, non grauare nouis tributis ecclesiarum prædia; iuxta sanctionem Ludouici imperatoris,

de qua in concilio Parisieñ. & in c. Secundum canonicam XXIII. q. VIII. his uerbis: Secundum canonicam auctoritatem, & constitutionem domini Imperatoris Ludouici, de ecclesiastico agro, & manso, & de mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, uel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus ecclesiæ fuerit. De decimis etiam, & oblationibus fidelium nullus quenquam presbyterorum aliquem censum persoluere cogat. imposita tamen bonis immobilibus, antequam emptionis, donationis, aut alio quouis titulo ad ecclesias peruenerint, cum ad ecclesias cum onere suo transierint, ecclesia persoluere tenetur. et de illis interpretandum c. Tributum. & c. Sancitum XXIII. q. VIII. & c. Tributum XI. q. I. quod fuit Ambrosii.

Vndecimo, Licet princeps solutus sit legibus l. Princeps. ff. de legi. tamen ad eius officium pertinet, se legibus obnoxium profiteri. l. Digna uox. C. de legi. cum re uera maius imperio sit, submittere legibus principatum.

Duodecimo, Boni principis est, ac religiosi, ecclesias contritas atque concisas restaurare, nouasq; ædificare, & dei sacerdotes honorare ac tueri. Vnde sanctos apostolos, eorumq; successores, sub diuina contestatio-

ne conſtitutos, præcepiſſe legimus, non debere fieri perſecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro dominico, nec expelli æterni regis diſpenſatores: ut reſcripſit Marcellus Papa ad Maxentium epiſcopum. & habetur in c. fi. XCVI. diſt.

Decimotertio, Officium principis eſt, prouidere, ne hi qui lites coram iudice habent, ſiue ciuiles, ſiue criminales ſint, ad arma deueniant, ut ſtatuitur in l. æquiſsimum. §. ubi decretum ff. de uſuf. & not. doct. cano. in c. in præſentia in fi. de proba. & per Bar. in l. nequicquam §. ubi decretum. ff. de offic. procon.

Quartodecimo, Ad officium principis ſpectat, ſi lis & controuerſia antiqua fuerit, & difficilis diſcuſsionis, partes ad concordiam cogere, ut not. doct. in. c. i. de mut. peti. per c. placuit. & glo. eius X C. di. & potiſsimum in criminali cauſa: ut not. Abb. in rubrica de treug. & pace. & Bar. in l. congruit. §. fi. ff. de offic. præſid. antequam tamen ſcandala eueniant, aut delictum: ut eſt tex. in l. Denuntiamus. C. de his qui ad eccl. confug. & in l. illicitas. §. ne potentiores. & ibi Bart. ff. de offi. præſi. & Bal. in l. æquiſsimum. ff. de uſuf. per l. Si quis ingenuam. §. ciuilibus ff. de capt. licet aliâs in cauſa ciuili concordia

ſuaderi poſsit, non imperari, ſecundum Bal. in l. ex ſtipulatione. C. de ſenten.

Decimoquinto, Cum imperialibus & Rom. pontificum legibus ſancitum ſit, ut confugientes ad eccleſias tuti ſint, nec inde ui extrahi poſsint l. fideli & l. præſenti C. de his qui ad eccl. confug. c. reum & c. ſi quis contumax XVII. q. IIII. c. inter alia & c. fi. de immu. eccle. niſi in caſibus in dictis iuribus exceptis; ad officium principis ſpectat, non permittere huiuſmodi immunitatem uiolari, quæ data eſt nedum eccleſiis, ſed etiam earum atriis c. quicquid. c. diffinitiua & c. id conſtituimus ea. ca. & q.

Decimoſexto, Ad officium principis ſpectat, in capitulis conciliatæ pacis cum hoſtibus ab omni dolo & fraude cauere. quoniam non eſt pax, ubi latent inſidiæ, ſecundum Bald. in c. I. in princip. de pace iur. fir. ex ſententia Aug. & ideo dixit ſanctus Tho. in Mat. cap. X. & in euangelium Io. cap. XIIII. quòd pax, quæ eſt cauſa peccati, ſimulata et imperfecta pax eſt: imo nequaquam pax. & Bal. in conſilio CCC'LXXI. cuius initium eſt, Viſis, in III. uolu. inquit, quòd pax nec bona, nec pax cenſenda, ex qua iniuſtitia ſubſequitur, aut magnum detrimentum.

Decimoſeptimo, Similiter ad principis officium ſpectat, quòd eius ſcripturæ, quæcunque

ſint, omni prorſus dolo careant, ut recte not. glo. in l. probatorias. C. de diuer. reſcriptis lib. XII. hinc dixit Ambro. lib. III. de officiis: Nec enim eſt regula iuſtitiæ, a qua non decet principem declinare, ut non afficiat quem damno iniuſto, nec doli aliquid annectere, fraudiſq; componere. quia decet principem omnem fallentiæ materiam remouere. l. quoties C. de pond. & au. illa.

Decimooctauo, Ad officium principis ſpectat, adhærentes ſuos ſecuros reddere, cum pacem facit cum hoſtibus. c. ad apoſtolicæ. de re iudi. libro VI. & not. Ange. conſilio CCCLXXXIX. cuius initium eſt, Inter capitula pacis.

Decimonono, Ad officium principis ſpectat, cogere ciuitates, & alios principes inferiores, ad ſeruandam pacem inter ſe contractam. c. nouit. de iudi. ubi But. & alii notant, pacta etiam hoſtibus ſeruanda, & eo magis cum ciuitatibus ſubditis inita. Bal. in l. fi. C. de tranſact. & debet princeps diligere pacem, & omnia dirigere ad ſummæ prouidentiam trinitatis. l. I. in princip. C. de uet. iure enuclean.

Vigeſimo, Ad principis officium ſpectat, ciuitates ſub eius dominio, aut protectione ſuſceptas etiam armis defendere. l. I. C. de domeſti. & protect. Ray. & alii in l. non omnes

ff. de re milita.
Vigesimoprimo, Ad officium principis spectat, pacta etiam nulla stipulatione uestita seruare. l. 1. C. de donat. inter uir. & uxor. quia principis præsentia omnem supplet solennitatem. l. omnium. C. de testa. nam si pactum nudum si in iudicio fiat, effectum habet agendi, secundum glo. in auten. generaliter. C. de epis. & cleri. quanto magis si coram principe, aut a principe?
Vigesimosecundo, Ad officium principis spectat, conferre dignitates, propter labores & merita uirtutum, non ambitiosis aut adulatoribus l. & uirtutum præmia. C. de statu. & imag. l. contra publicam. in fi. C. de re mili.
Vigesimotertio, Ad officium principis spectat, noua uectigalia aut tributa non nisi ex causa imponere: aliàs deum offendit, & peccat. Inno. in c. innouamus. de censi. Imminens autem bellum licitum, si princeps aliunde non habet, quo bellum sustinere posit, una est ex causis imponendi noua uectigalia. Bartol. in l. neminem. C. de sacrosan. eccle. Bal. in c. conquerente. de offi. ordi. & archi. in c. quia. x. q III.
Vigesimoquarto, Ad officium principis spectat, inferre aut propulsare bellum cum moderamine inculpatæ tutelæ, secundum Bald. & Inno. in c. sicut. de iur. iura. per tex. in cap.

olim. de resti. spolia.
Vigesimoquinto, Quoniam cassa & irrita sunt quæcunque statuta & consuetudines contra libertatem ecclesiæ, eiusq; personas, auten. cassa. C. de sacrosan.eccle. ad officium principis spectat, ea nec obseruare, nec a suis magistratibus, & ius dicentibus obseruari permittere, quin potius declarare illa fore irrita & inania. & propterea, si ex statuto, uel consuetudine minor pœna imponatur interficienti clericum aut sacerdotem, quàm interficienti laicum, abrogandum est huiusmodi statutum, & tollenda consuetudo: quòd his pauentes & timidiores reddantur clerici.
Vigesimosexto, Similiter abrogare debet legem, statutum, aut consuetudinem, non solum cum principaliter disponunt, sed etiam si subtrahantur commodum, quod prius dederant, glo.in c. de puellis, in uerbo nullatenus XXXVI.q.II. Federi. consilio XXXVI. cuius initium, Casus talis est, Maritus uxori. Abb.& alii in c. cum M. de consti.
Vigesimoseptimo, Eodem modo abroganda statuta, & decreta nulli licere apprehendere possessionem ecclesiæ sibi collatæ sine eius permissu aut licentia, quin potius declarare illa nulla fore, ut sunt, nec obseruanda. quoniam priuant clericos priuilegio, per quod

ſola eccleſia eccleſiaſtica adminiſtrat.c. ſi imperator. XCVI. di. c.ſi.de reb. eccl.non alie. & priuilegio dato clericis, quòd in ſuis actis minime teneantur uti ſecularibus legibus.c. II. de iudi. quinimo ſtatuentes ſunt ipſo iure extra eccleſiam, & ut impii cenſentur.per c. nouerint. & c. graue. de ſent. excom.nec eos excuſet timor ſcandali, propter quod aliter ſenſit Angel. conſilio XXIII. cuius initium, Sola perſona. quoniam in ſtatuentibus non ſufficit, quòd rationabilis & æqua cauſa eos moueat, ſed auctoritas & ius ſtatuendi exquiritur, ſecundum Io. an. in c.ſtatutum. de hære. lib. VI.

Vigeſimooctauo, Eadem ratione ad principis officium pertinet, ſtatuta reuocare pœnam imponentia clericorum conſanguineis, ut clerici ſtatuto coherceātur, cum nullam habeant firmitatem: ut diſſeruit Bar. in l. I. in fin. ff. de his qui pœnæ nomi.per illum tex. et in l. is pene. C. de agrico. et cenſi. lib. XII. cum ex illo tex. colligit, non ualere ſtatutum grauans colonos clericorum pro actis a clericis: quod prorſus iniquum eſt, et iniuſtum.

Vigeſimonono, Idem iudicium eſt de legibus aut ſtatutis prohibentibus matrimonium his, quibus eccleſiæ decreta permittunt: qualia ſunt matrimonia inter tutorem et pupillam, inter rectorem prouinciæ et prouinciales. ut

not. Abb. in c. cum M. de consti. et Fede. de Seni. consil. XXXVI.

Trigesimo, Idem de legibus exigentibus instrumenta dotalia, ut suscepta proles legitima censeatur. quod sancitum fuit l. III. C. de natu. libe. nec enim seruandæ sunt, ut not. doct. in c. I. de sponsa. et in c. tanta. qui filii sint legi. His similia sunt statuta prohibentia matrimonium cum alienigenis: aut imponentia pœnam amisionis dotis mulieri nubenti uiro indigno, et disparis conditionis; et de aliis similibus enumeratis per Felin. in d. c. cum M. de his enim officium principis est, ea pro nullis et irritis habere, nec permittere secundum ea iudicium fieri.

Trigesimoprimo, Ex præmissorum ratione, et ne offendatur libertas ecclesiastica, et ne principes rebus ecclesiæ sese immisceant; subsequitur, officium principis, magistratuum, et officialium suorum fore, non ius dicere, nec forum habere in ecclesiis: ut statuitur c. cum ecclesia. et c. decet §. cessit. de immu. eccle. lib. VI. non hospitium sibi in ædibus episcoporum, aut ecclesiarum uendicare. c. I. de immu. eccle. et l. I. C. de epis. et cleri. Non clericos ad sumendas tutelas laicorum compellere c. generaliter. XVI. q. I. non ui aut metu absolutionem a censuris aut interdicti ecclesiastici a iudicibus extorquere, c. I.

quod met. cau. lib. VI. non bona ecclesiarum inuadere c. qui Christi. c. nulli liceat. c. quicunque XII. q. II. et c. conquestus. de foro compet. nec episcoporum, aut clericorum bona c. similiter et c. qui iuxta XVI. q. IIII. non donationes ecclesiis factas reuocare c. Sunt qui opes. et c. sacrilegium XVI. q. IIII. non priuilegia ecclesiarum, aut clericorum auferre c. omnes. XXII. di. non gabellas, collectas, aut pedagia a clericis exigere c. non minus. c. aduersus. de immu. eccle. c. I. eo. ti. lib. VI. c. quanquam de censi. eo. lib. et in clem. præsenti. eo. ti. non pensiones, procurationes, aut pœnas a clericis, et personis ecclesiasticis sub protectionis, aut alio quouis titulo extorquere c. quicunque XV. q. II. aliâs tenentur actione iniuriarum c. olim. de iur. iur. c. quamuis XXIIII. q. VIII. non recipere ab episcopis, aut his maioribus homagium, uel fidelitatis iuramentum, cum nil temporale ab eis recognoscunt c. ex diligenti. de simo. c. nimis graue cum seq. de iur. iur. et c. fi. de reg. iur. non iubere, aut statuere, sed potius decreta reuocare, quôd ecclesiæ infra annum, aut aliud quoduis tempus uendere, aut aliàs distrahere teneantur bona immobilia, quæ eis donari aut legari in posterum contigerit, contra indultum a l. generali. & l. iubemus.

C. de

C. de sacrosan. eccle. & l. Decernimus eo.ti. & l. Omnia priuilegia.C. de epis. & cler.

Trigesimosecundo, Eadem ratione boni principis officium est, non cogere sacerdotes missarum solennia, aut alia diuina officia interdicti tempore celebrare. non episcopos, aut alios collatores cogere, sibi gratis & acceptis personis conferre beneficia. non se beneficiorum patronos, cum non sint, constituere. non cogere patronos, quos ipsi uoluerint, præsentare. non inhibere impetrationem beneficiorum a Rom. pontifice: non rescripta, aut alias quasuis literas gratiæ uel iustitiæ a sede apostolica impetrari. non prohibere clericos in Romana curia litigare, non laicos in spiritualibus causis; non literarum apostolicæ sedis, aut legatorum executionem: non sub custodiæ prætextu, ne distrahantur, uacantium beneficiorum reditus usurpare. non laicos cogere diebus festis operari in murorum reparatione, aut arcis seu palatii sui reparatione, aut constructione. non applicare fisco suo mulctam, quam operantes diebus festis ex synodalibus constitutionibus incurrunt. non cogere monasteriorum, & aliorum regularium locorum rectores, aut recipere, aut dimittere quos uoluerint: nec regulares suis monasteriis, aut domibus extrudere, prætextu quòd con-

uentuales sint, & quos obseruantes uocant, introducere. non moniales ad eligendum, quem ipsi uoluerint, confessorem: non regulares cogere, capellanos ad ipsorum ædes pro diuinis celebrandis destinare, quos sæpius ultra meridiem se præstolari permittunt. non inquisitioni hæreticæ prauitatis se immiscere. non admittere qui iurarunt ad iudicium sine absolutione à iuramento. non impedire qui absolutionem à iuramento petunt pro contractus rescissione. non impedire laicos a prorogatione iurisdictionis ecclesiasticæ. non usurpare iudicium, an quis clericali caractere insignitus sit. nõ prohibere notarios contrahentium iuramenta recipere, si suscipere uoluerint pro firmiori contractus robore. non cogere clericos, coram se præstare testimonium. non abuti priuilegio puniendi etiam clericos pro latrocinio, aut alio enormi aut atroci crimine, in his quæ atrocia & enormia non fuerint, usurpando priuilegii pretextu quocunque casu in clericos cohercionem. non se iudicem prætendere clerici, si coram se causam contra laicum prosequendo falsis testibus aut instrumentis usus fuerit, sed ad suum iudicium remittere. non prætendere se iudicem clerici, si ecclesiasticus negligens fuerit contra eum laico iustitiam ministrare. non in causa delatio-

nis armorum. non ſi clericus officio laici fungens in officio deliquerit, etiam ſi clericus iudicio ſeculari ſe ſubmiſerit, quod nequaquam poteſt. non ſub prætextu, quòd clericus adſcriptus ſit collegiis licitis. non ſe iudicem conſtituere appellationis a ſententia laici delegati ab epiſcopo, cum ad delegantem deuoluatur appellatio. non ſub prætextu uiolentiæ aut turbatæ poſſeſsionis beneficii eccleſiaſtici executionem repreſaliarum in clericorum perſonis permittere. non prohibere publicationem cenſurarum, aut interdicti eccleſiaſtici in executionem literarum apoſtolicarum. non committere cognitionem nullitatis cenſurarum iudicibus laicis. non impedire locorum ordinarios, quin exigant a laicis rectoribus hoſpitalium, aut his qui præſunt fabricis eccleſiarum, rationem adminiſtrationis. & ut hæc, & alia plæraq́; uno uerbo claudantur, in uniuerſum ad officium boni principis pertinet, ab his omnibus abſtinere, quibus læditur iuriſdictio et libertas eccleſiaſtica. Nec ſibi ipſis blandiantur, quòd actio ſit realis, quòd bona ſint temporalia, quòd eccleſiaſtici negligentes ſint adminiſtrare iuſtitiam, aut ſic obſeruatum a maioribus, cum hæc non tribuant iuriſdictionem magiſtratibus laicis in cauſis ad eccleſiam pertinentibus.

Hæc collegeram ex sanctis scripturis, ex sacris pontificum decretis, ex imperialibus legibus, cum incidit in manus meas libellus Isocratis de institutione principis, quem cũ auidissime legissem, dignus uisus est, qui continue a principibus legeretur: nec a proposito alienum existimaui, eius præcepta colligere, & opusculo nostro pro coronide inserere.

Ex Isocrate, de institutione principis.

Eorum, qui tecum uiuunt, prudentissimis temet adiunge, & alios, quoscunque ua les, acccerse: nec ullius poetæ celebris, aut so phistæ puta te rudem esse oportere: sed isto rum quidem auscultatorem te præbe, illorum uero discipulum.

Ita temetipsum compares, ut inferiorum sis iudex, & superiorum æmulus.

Ipse temetipsum in consilium adhibeto: siquidem absurdum existimas, deteriores imperare præstãtioribus, & stultiores pręire prudentioribus. nam quo uehementius cæterorum amentiam contempseris, hoc diligentius tuam ipsius mentem excoles.

Ciuium & ciuitatis amantem oportet esse principem. neque enim equis, neque canibus, neque uiris, neque ulli denique rei quisquam recte posit imperare, nisi gau-

deat & delectetur his, quorum curam agere debet.

Curæ ſit tibi multitudo: & illud ſuper omnia ſpectes, ut ita imperes, ut charus & gratus ſis tuis; haud ignorans, & inter oligarchias, id eſt reſpublicas in quibus penes paucos eſt rerum poteſtas, ut inter alias reſpublicas, eas maxime diuturnas eſſe, in quibus maxime habetur ratio multitudinis. porro hanc ita recte moderaberis, ſi nec ſines, ut quis faciat iniuriam alicui, nec patieris iniuria affici quenquam. uerum illud agas, ut optimis quidem honores tribuantur & præmia, cæteri uero nulla in re per iniuriam lædantur.

Si quæ erunt leges aut conſuetudines ciuitatis parum rectæ, eas tolle atque immuta. ac in primis da operam, ut eas quàm optimas excogites: quo minus poteris, quæ apud alios conſtituta ſunt imitare.

In uniuerſum leges conquire, quæ et iuſtæ ſint, & reipublicæ conducibiles, & inter ſe conſentientes: deinde quæ & lites quàm paucißimas pariant, & exortas quàm poteſt ocißime finiant.

In controuerſiis ciuium inter ſe dißidentium ita iudicis officio fungere, ut nec ad gratiam alicuius, nec ſecum pugnantes feras ſententias. nam ut decet pariter & expedit leges

bene conditas, ita regum quoque de iure sententiam certam & immutabilem esse.

Ciuitatem, tanquam paternam domum, gubernato, in apparatu quidem splendidus ac regalis, cæterum in muniis obeundis accuratus & diligens: quo pariter & laudem consequaris, & facultates suppetant.

Magnificentiam ostentes, non in ullis hisce sumptibus, qui protinus euanescunt, sed in his, qui tum pulchritudine & in amicos beneficentia: propterea quòd huiusmodi sumptus non solum tibi manent, uerum etiam posteris tuis utilitatem relinquent his, quæ insumpsisti, potiorem.

Existimes nullum sacrificium pulchrius, nullum esse cultum maiorem, quàm si te ipsum uirum optimum iustissimumq́; præstiteris.

Primos honores tribue coniunctissimis, uerissimis, amicissimis.

Eam putato tutissimam corporis tui custodiam, si & amicos habueris uirtute præditos, & ciues tibi beneuolentes, & si ipse prudentia polleas. nam hisce potissimum rebus & parare tibi regnum, & tueri poteris.

Adeo per omnem uitam appareas obseruans & amans ueri, ut tuis dictis citius habeatur fides, quam cæterorum iuriiurando.

Cunctis hospitibus tutam præbeto ciuita

tem, & in contractibus legum obseruantem.

Adimito metum ciuibus, neque uelis admodum formidabilis esse his, qui nihil peccant.

Nequid omnino feceris per iracundiam: uidearis id facere, quoties ita postulabit tempus.

Ita seuerus appareas, ut nihil te lateat eorum quæ fiunt: mitis autem, ut pœnas irroges commissis minores.

Ita principis dignitatem ostendere studeas, non sæuitia, & atrociter puniendo, sed hoc agens, ut omnes ingenio tuo superentur, & te rectius, quàm ipsi possent, suæ saluti consulere putent.

Esto bellicosus rei militaris scientia, ac belli apparatu; pacificus autem, nihil præter ius & æquum usurpando.

Sic cum inferioribus ciuitatibus commercium agito, ut superiores tecum agere uelles.

Felices & imitandos puta, non hos qui imperium parauerunt amplissimum, sed eos, qui quod contigit quàm optime gesserunt.

Amicos facito non quoslibet id ambientes, sed qui tua digni sunt indole, nec eos, cum quibus iucundissime sis uicturus, sed quibus adiutantibus quàm optime remp. gubernaturus.

Diligentissimus esto in explorandis his, quos in familiaritatem allegis tuam, memor futurum, ut omnes qui tecum non habent consuetudinem, te similem arbitrentur his, quorum uteris familiaritate.

Negotiis, quæ per te non geruntur, uiros eiusmodi præfice, tanquam omnium, quæ illi commiserint, culpa sit tibi imputanda.

Fidos existima, non qui quicquid dixeris feceris'ue, laudant, sed qui errantem admonent.

Permitte prudentibus habere loquendi facultatem, ut si quid extiterit, de quo ambigas, habeas cum quibus rem expendere posis.

Qui tibi arte adulantur, discerne ab his, qui te cum beneuolentia colunt: nec potior sit malorum, quàm bonorum conditio.

Tibi ipsi non minus, atque aliis imperato: idq; maxime rege dignum esse ducito, si nulli seruieris uoluptati, sed cupiditatibus tuis magis, quàm ciuibus, domineris.

Ne postules, ut cæteri quidem composite uiuant, reges autem incomposite: quin magis tuam temperantiam aliis exemplum facito, gnarus totius ciuitatis mores principis imitari uitam.

Magis enitere, ut honestam famam libe

ris tuis relinquas, quàm ingentes opes. quippe mortales sunt hæ, illa immortalis: & per famam pecunia parari potest, fama uero nummis emi non potest.

Simul & urbanus esse stude, & grauis: propterea quòd hoc quidem regem decet, illud uero ad uitę consuetudinem est accommodum: quanquam id est omnium difficillimum. Reperies enim plerunque fieri, ut qui graues uideri affectant, frigidi sint: & rursus, qui student urbani esse, humiles uideantur & abiecti. Proinde utrisque his rebus sic utendum est, ut quod mali utrique adiunctum est, euites.

Imagines tuas ita stude relinquere, ut uirtutis tuæ magis, quàm corporis sint monimenta.

Curæ tibi sit de rebus honestis loqui, ut assuefactus eadem & sentias, quæ dixeris.

Quorum æmuleris gloriam, horum imiteris & facta.

Quæ liberis tuis consuleres, ea uelis ipse sequi.

Sapientes existima, non istos, qui de rebus minutis exacte contendunt, sed qui de maximis recte disserunt: neque hos qui felicitatem pollicentur aliis, cum ipsi multarum inopia rerum urgeantur, sed qui modeste de seipsis uerba facientes, & in rebus

gerendis & cum hominibus uersari pos-
sunt, neque uitæ commutatione perturban
tur, uerum aduersam iuxta & secundam for
tunam ferre norunt.

LICERE SACERDOTIBVS TEMPORALIA BONA POSSIDERE.



VETERIS & noui Teſtamenti teſtimoniis, pluribusq́; rationibus probare intendimus, licere ſacerdotibus temporalia bona poſſidere. & primo, quoniam in lege naturæ primogeniti ſacerdotio fungebantur, & iure primogenituræ cum pari portione ſibi cum fratribus debita aliam habebant paternæ hæreditatis portionem: Gene. XV. Et Nume. XV. per Moſen mandauit dominus filiis Iſrael, darent Leuitis de poſſeſsionibus ſuis urbes ad habitãdum, & ſuburbana; pro ipſis urbes, pro pecoribus & armentis ſuburbana. quod executus eſt Ioſue XXI. in quo ſtatu Moſaicæ legis Leuitica tribus aliis erat opulentior, & ditior, ut quæ præter oblationes & primitias, decimas recipiebat omnium quæ terra naſcerentur. Leui. XXVII. Legimus etiam Hierem. XXXII. Hieremiam ipſum, qui de tribu Leuitica erat, agrum emiſſe, ſoluto pretio, & ſtipulato emptionis inſtrumento.

& Gene. XLVII. quòd in uniuersa terra Aegypti quinta pars fructuum soluebatur regi, absque terra sacerdotali, quæ terra libera ab hac conditione fuit. possidebant igitur terram & possessiones sacerdotes.

Colligitur etiam, sacerdotes bona temporalia possedisse, ex eo quòd habetur nume. XXXV. cum dicitur: Locutus est dominus ad Moysem: Præcipe filiis Israel, ut dent Leuitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant. & infra: Et de ipsis oppidis Leuitarum sex erunt ciuitates refugii: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida &c. Item Iosue XXI. post expressionem numeri ciuitatum, quas habuerunt Leuitæ ab his tribubus; subiicitur: Dederunt filii Israel Leuitis ciuitates, & suburbana eorum, sicut præcepit dominus. Item ex eo quod habetur Leui. XX. Aedes Leuitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertentur ad dominos: quia domus urbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel: suburbana autem eorum non ueniunt, quia possessio sempiterna est.

Et licet in priori terræ diuisione non habuerint sacerdotes partem agrorum, post-

modum tamen ex uotis habuerunt. habetur enim Leui. ult. Si ſtatim ab anno incipientis iubilei quis agrum uouerit, quantum ualere poteſt, tanti æſtimabitur. ſi autem poſt aliquantulum ſupputabit ſacerdos pecuniarum iuxta annorum, qui reliqui ſunt, numerum uſque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. quòd ſi uoluerit redimere agrum ille qui uouerat, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſsidebit eum. ſi autem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit uenundatus, ultra eum qui uouerat, redimere non poterit: quia cum iubilei uenerit dies, ſanctificatus erit domino: & poſſeſsio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotum.

In poſteriori autem diuiſione terræ, quę fieri debebat poſt captiuitatem; datam portionem Leuitis, habetur Ezechiel. ult.

In noua autem lege ſacerdotes bona temporalia poſſediſſe ex eo deducitur, quòd iubentur epiſcopi hoſpitales eſſe. at hoſpitalitas ſine facultatibus ſeruari non poteſt.

Item in primitiua eccleſia in epiſcopos aſſumebantur habentes uxorem. quis autem & diuino & naturali iure tenetur & uxorem & filios alere: quod ſine facultatibus fieri non poteſt.

Accedit, quòd in canonibus apoſtolo-

rum habetur: Sint manifestæ res propriæ episcopi, si tamen habet proprias: & manifestæ dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus, sicut uoluerit, & quibus uoluerit, derelinquere: ne sub occasione ecclesiasticarum rerum, ea quæ episcopi esse probantur, interdicantur. Fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut seruos: ut iustum est apud deum & homines, ut nec ecclesia patiatur detrimentum ignorantia rerum pontificis, nec episcopus, uel eius propinqui sub obtentu ecclesiæ proscribantur. & habetur in c. Sint manifestæ XXII. q. I.

Item fatetur Augustinus, dominum loculos habuisse, à fidelibus oblata conseruantem, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuentem: & tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ formam institutam, ut intelligeremus, quod præcepit non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse, ut nihil pecuniæ seruaretur à sanctis, sed ne deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur: & habetur in c. Habebat. XII. q. II.

Multis autem ex causis Iesus Christus, dominus noster, uoluit loculos habere. Primo, ad pauperum sustentationem: ut dicit Hierony. super illud Io. XIII. Dominus

non peram, nec uirgam, nec æs, inquit, iubens deferri, marſupium ferebat ad inopum miniſterium. hoc exiſtimarunt diſcipuli, ut aliquam pauperibus eleemoſynam daret.

Secundo, habuiſſe loculos, ut haberet unde neceſſaria emeret ad ſuorum uſum, propter imminentem neceſsitatem, qualis fuit, cum per Samariam tranſiit: Io. IIII. Erant enim Samaritani inhoſpitales Iudęis. nam habetur Luc. XIX. quòd cum Ieſus uenit in Hieruſalem, Samaritani noluerunt eum recipere. Vnde Luc. XXIII. habetur: Quando dimiſi uos ſine baculo & pera, nunquid aliquid defuit uobis? Et illis reſpondentibus, Nihil; dixit, Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram. ubi gloſa inquit, dari nobis exemplum, ut non nunquam, cauſa inſtante, de noſtri propoſiti rigore recedere ualeamus. §. Exigunt. I. q. VII.

Tertio, dicitur loculos habuiſſe, condeſcendens infirmis, exemplo dato, ut ſibi prouideant. Si enim loculos non habuiſſet, forte putaſſent aliqui, uetitum ſibi eſſe neceſſaria prouidere. propterea dicit Aug. in ſermone domini in monte: Vehementer cauendum eſt, ne forte cum uideris aliquem dei ſeruum prouidere, ne iſta neceſſaria de-

ſint, uel ſibi, uel eis, quorum cura ſibi commiſſa eſt; iudicemus eum contra præceptum domini facere, & de craſtino eſſe ſolicitum. nam dominus, cui miniſtrant angeli, propter exemplum, ne quis poſtea ſcandalizetur, cum aliquem ſeruorum animaduertiſſet iſta neceſſaria procurare, loculos habere dignatus eſt, ut uſibus neceſſariis, quicquid opus fuerit, præberetur.

Quarto, loculos habuit Chriſtus, ut dicit Aug. ſuper Io. quia eccleſia loculos habitura eſſet. & habetur in c. Exemplum..XII. q.I. Propterea explodendi, qui damnare auſi ſunt conſtitutionem Io. XXII. de Chriſti paupertate; aſſerentes nuſquam in ſacra ſcriptura haberi, quòd Chriſtus & apoſtoli in loculis pecunias habuerint pro ſuis uſibus neceſſariis, & pauperum; ſed mulierum aliquas, & alios, qui non erant ex diſcipulorum numero; innixi dicto Chryſoſtomi, ſuper illud Io. XIII. Loculos habebat Iudas; cum dixit, quòd nimirum nullus diſcipulorum pecunias afferebat. Sed per hoc quod dicitur, Loculos habebat Iudas; inſinuatur, quòd eum quædam mulieres de ſuis facultatibus nutriebant. Sed quod dixit Chryſo. intelligendum eſt pro eo tempore, quo miſsi fuerant ad prædicandum Iudæis.

Nec improbanda eorum ſententia, qui aſſerunt,

asserunt, Christum, condescendendo infir mis, aliquid imperfectionis, aut imperfectioni simile egisse: ex eo quod habetur in c. Exiit qui seminat. de uerbo. sign. lib. VI. cum dicitur: Sic enim humanam naturam assumpsit, quòd cum suis operibus perfectus existens, in nostris factis humilis, in propriis permansit excelsus. Sic & summæ charitatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imperfectionis conformes inducitur, & a summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit nanque Christus, & docuit perfectionis opera: egit etiam infirma. Sicut & interdum & in fuga patet, & in loculis: sed utrunque perfecte perfectus existẽs, ut perfectis & imperfectis se uiam salutis ostẽdens, qui utrosque saluare, qui tandem mori uoluit pro utrisque.

Ex eo autem, quod dixit Hierony. super illud Mat. XVII. de statere capiendo ex ore piscis; quôd tantæ fuit paupertatis dominus, ut, unde tributa solueret, non haberet: Iudam quidem communia in loculis ha buisse: sed res pauperum conuertere in suum usum dominum nefas duxisse; perperam colligunt aliqui, quæ in loculis erant, non fuisse Christi. quoniam id fuit, quòd nefas putabat, quæ pauperibus debebantur, conuertere in usum, ad quem non teneban-

tur, tributum ſcilicet ſoluere: ſed propter ſcandalum euitandum ſoluere uoluit.

Non repugnat his quæ dicta ſunt, licere ſacerdotibus poſsidere temporalia bona; prohibitio quæ habetur Mat. x. Nolite poſ ſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis ueſtris: neque duas tunicas habeatis. & Mar. VI. & Luc. IX. ante paſſionem facta; auctore Chryſoſtomo. quoniam reuocata fuit, cum ſecundo mitterentur ad prædicandum gentibus, dicente domino: Quando miſi uos ſine baculo, & pe ra, & calciamento, nunquid aliquid defuit uobis? & dicentibus, Nihil; ſubdidit: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat eum, ſimi liter & peram: & qui non habet, uendat tu nicam ſuam, & emat gladium: Luc. XXII. Sicut etiam & ante tempus dominicæ paſsio nis fuit apoſtolis uetita prædicatio ad gentes, & Samaritanos, cum eis a domino dictum fuit: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed tantum ite ad oues, quæ perierunt Iſrael. Mat. X. reuocata eſt poſt reſurrectionem, cum mandauit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &cæ. Mat. XVIII.

At dici etiam poteſt, hoc uocabulo, No lite, non ſemper prohibitionem induci, quę

peccatum faciat, siquis uoluerit. sicut cum Luc. XIIII. dicitur: Cum facis prandium, aut cœnam, noli uocare amicos tuos, nec fratres, aut cognatos; non propterea uetitum, ne quis amicos inuitet: ibidem testante Beda, id prohiberi, non quasi scelus aut uitium, sed ut intelligamus, id modicum ualere ad promerendum uitæ cœlestis præmia. quemadmodum nec alia uitæ humanæ commercia. Item scriptum est Mar. X. Nolite timere eos, qui corpus occidunt. nec tamen inhibetur omnis timor eorum, qui corpus occidere possunt. Ex eo autem, quod habetur, Nolite soliciti esse de crastino; non est abiicienda omnis solicitudo: cum futuras præuidentes necessitates apostoli Paulo & Barnabæ præceperint collectiones fieri in usus sanctorum, qui erant in Hierusalem: Act. XV. & ipse Paulus pro faciendo itinere talem habuit prouidentiam: secundæ Cor. IX. & ad Philip. IIII. Itidem cum Christus dicit: Nolite cogitare, quid, aut quomodo loquamini; non prohibitio, sed monitio fuit, ne timorem aut formidinem haberet. sic & Christus cum Luc. VI. dixit, Nolite iudicare; non omne iudicium prohibuit. nec apostolus cum dixit, Nolite iurare; omne iuramentum inhibuit. Item cum dicitur Mat. XXIIII. Nolite uocari rabbi, & patres nolite uocari

in terra ; non hæc nomina, aut officia prohi bere uoluit dominus: sed superioritatis & excellentiæ ambitum . Sic cum dixit, Nolite posidere aurum, & argentum ; prohibetur eorum nimia cupiditas, & desiderium quod officiat saluti .

Secundo, non repugnat quod habetur Luc. XIIII. Omnis ex uobis, qui non renunciauerit omnibus quæ posidet, non potest meus esse discipulus. quoniam interpretari debet, quo ad affectum : iuxta illud psal. XLI. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. plures enim fuere discipuli domini, diuitiis affluentes: & alii, si non diuites, immobilium tamen bonorum possessores.

Tertio, non repugnat quod habetur Mat. XVI. Siquis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. quoniam intelligendum est, quòd abneget secundum affectum, cum scilicet præfert dei amorem suiipsius dilectioni, & suorum. quo affectu dicitur se & sua abnegare. Sic & illius quod habetur Io. XII. Qui amat animam suam, perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam ; sensus est: Qui præfert se & sui amorem amori dei, perdet animæ suæ salutem: & qui postponit se & sui amorem amori dei, saluam faciet animam suam.

Simili modo quòd habetur Luc. XIIII. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. ubi, odisse, tantum ualet, atque, minus quàm Christum diligere: designaturq́;, amorem dei dilectioni parentum, uxoris, & filiorum, imo & suiipsius etiam præferendum.

Quarto, non repugnat quòd Christi imitatores esse debeamus, qui paupertatem coluit, iuxta illud Mat. VIII. Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. quamuis ipsius sit terra & plenitudo eius. quoniam imitatores Christi esse debemus in his, quæ ad salutem sunt necessaria: non in iis, quæ consilii sunt & perfectionis; saltem ex obligatione. quo modo accipi debet quod Petrus uice omnium dixit domino: Mat. XIX. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. & quod ibidem dixit dominus: Si uis esse perfectus, uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Quinto, non repugnat quod habetur primæ Timo. cap. VI. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. quoniam superfluitas duntaxat diuitiarum, & nimia diligentia, seu affectus prohibetur, tendens

ad theſauros cõgerendos ultra neceſsitatem.

Sexto, non obſtat quod habetur Mat. v i. Nolite ſoliciti eſſe, quid manducetis, aut bibatis. non poteſtis deo ſeruire, & mamonæ. & quod habetur, Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra. quoniam nimia diuitiarum ſolicitudo, & nimius ad eas affectus duntaxat inhibetur. quia, ut ibi inquit glo. non labor & prouidentia damnatur, ſed ſolicitudo mentem ſuffocans.

Septimo, non repugnat quod dicitur a domino, Vende omnia quæ habes. quoniam id non eſt eſſentiale perfectionis, ſed inſtrumentum, ſine quo poteſt eſſe perfectio. Gene. enim x v i i habetur, dictum fuiſſe Abraham a domino: Ambula coram me, & eſto perfectus: cum tamen diues foret. Et quod habetur, Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum; generaliter ad omnes attinet, tam laicos, quàm clericos. nec eo dicto damnantur diuitiæ, ſed earum abuſus. quod ipſemet Chriſtus declarauit Mar. x. cum dixit: Difficile qui pecuniam habent in regnum dei introibunt. & cum obſtupuiſſent diſcipuli, quaſi declarando ſubdidit: Filioli, quàm difficile eſt confidentes in diuitiis intrare in regnum dei. ex quo conſtat de eo loqui diuite, qui ſpem ſuam in pecuniis ponit.

Sicut etiam Aug. ſuper pſal. Qui gloriaris, dicit, eo dicto, Difficilius eſt &c. non diuitias, ſed cupiditates & auaritiam condemnari. Similiter quod habetur Luc. XVI. de diuite, & Lazaro; intelligendum eſt de diuite, qui non poſuit deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & qui male diuitiis utebatur. dicitur enim, quòd Lazarus iacebat ad ianuam eius, plenus ulceribus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis: & nemo illi dabat.

Octauo, non repugnat quòd deus pars ſit hæreditatis ſacerdotum. quoniam non pugnant hæc inuicem, quòd quis temporalia bona poſsideat, & dominus dicatur pars hæreditatis eius: cum Dauid Rex, multis pollens diuitiis, pſal. XV. dixerit, Dominus pars hæreditatis meæ.

Nono, non repugnat quòd in exordio naſcentis eccleſiæ omnia uenderentur, & ponerentur pretia ante pedes apoſtolorum. quoniam præuidebant apoſtoli, eccleſiam in gentibus futuram, nec permanſuram in Iudęa. propterea in primitiua eccleſia omnia uendebantur. c. Futuram XII. q. II. Alia etiam ratione oriens eccleſia de immobilibus habendis ſibi non proſpexit, quia apud Iudæos facilior erat uiuendi modus ex eleemoſynis:

cum, more gentis, prædicatoribus subministrarentur necessaria. non sic autem apud gentiles. propterea Christus mittens apostolos ad Iudæos, iusit nil deferrent, nec baculum, neque peram. mittens autem ad prædicandum gentibus, iusit ut sacculum & necessaria ferrent.

Decimo, non repugnat quòd iure naturæ omnia essent communia: quod ius sacerdotes in primis seruare deberent, sicut & diuinum. quoniam si iure naturæ omnia essent communia, eo sensu, ut nullus dicere posset, Hoc meum est, hoc tuum; leges disponentes, quòd quis proprium habeat, iniquæ forent, damnatiq; essent nedum clerici, sed & laici, qui bona posiderent: damnati Abraham, Dauid, qui diuites fuere, & alii plures tam nouæ, quàm antiquæ legis. sed eo sensu accipiendum, omnia communia, ut quæ propria sunt, communia sint aliis, pro loco, tempore, & necesitate: cum quis naturali iure teneatur id facere, quod sibi fieri uult: Luc. VI. Quisque autem indigens uult sibi dari de bonis alterius, a quo petit. Tenebitur igitur iure naturæ dare alteri indigenti & petenti. Hinc indigenti furari permissum est. c. II. de furtis; tanquam eo casu non aliena, sed quæ communia sunt capiat. Quod uero habetur in epistola IIII. Clementis primi

c. Dilectissimis. XII.q.I. Per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud; non est accipiendum, quòd possidere aliquam rem, ut propriam, sit peccatum: sed quòd cōmunis usus omnium, qui fuissent in statu innocētiæ, introeūte peccato sit interruptus.

Vt autem clarius pateat, quidnam secundum uarietatem temporum obseruatum sit in ecclesia, de bonis a sacerdotibus possidendis; pro coronide huius disceptationis operæpretium existimauimus, quæ subsequuntur adiicere. quòd sicut initio humani generis omnia erant communia c. Ius naturale. I. dist. deinde iure gentium distincta sunt dominia. l. Ex hoc iure. ff. de iust. & iur. & postea iure scripto modi acquirendi melius distincti. Insti. de rerum diui. per tot. l. Traditionibus C. de pact. sic euenit ecclesiæ dei. Primum enim omnia Christianorum bona erant communia, qui uenditis rebus pretia ponebant ante pedes apostolorum: ut habetur in c. Dilectissimis. XII.q.I. deinde facta fuit distinctio, ut singuli sua retinebant. c. Manifeste XII. q. I. successiue facta distinctio clericorum a laicis: ut laici separatim habitarent, & singuli propria possiderent: clerici uero simul habitantes, necessaria ab episcopis recipiebant, qui apostolorum loco successerant. c. Duo sunt. c. Quia tua. & c.

Cui portio XII.q.I. Tertium fuit tēpus, quo clericorum alii uiuebant in cōmuni.c. Nolo. c. Nō dicatis.c. Scimus.c. Nullus eorum.XII. q.I. proprietatem autem et uſumfructum habebat ſolus prælatus: dictis iuribus. Aliqui etiam ex clericis ſecularibus uiuebāt in communi, habentes ſuas præbendas: nec tamen ex eo erant regulares.c. Quoniam ubi. tex. & gloſa, ſecundum unum intellectum communiter approbatum. de uita & honeſt. cleri. & tex. cum not. ab Vgone & Archi.in c. Omnis ætas XII.q.I. Alii uero non uiuebant in communi, cum tamen eſſent clerici: et his licitum erat proprium poſsidere.c. Certe ego.c. Epiſcopi.c. Manifeſta.c. Præcipimus.c. Futuram.XII.q.I. Succeſsit quartum tempus, quo, refrigeſcente charitate, non facile propriis renuntiabant, nolentes uiuere pauperes. ideo ſtatutum, ut diuerſæ eſſent adminiſtrationes, & diuerſi tituli in eccleſia Dei.& regulares deinde diſtincti ſunt, ut aliqui in communi bona poſsiderent, alii non, quos mendicantes nuncuparunt, de quibus toto titulo de ſtatu monacho. & Clem. Exiui. de uerb. ſig. qui arroganti forſan nomine ſe uocarunt apoſtolicos, in ſuam communionem non recipientes utentes coniugio, & res proprias poſsidentes. de quibus in.c. Quod quidam apoſtolici.XXIIII q.III.

LICERE EPISCOPIS ET SACERDOTIBVS DOMINIVM HABERE TEMPORALE.



ETSI dominus noſter Ieſus Chriſtus, rex fuerit, & is de quo cecinit pſaltes, Domini eſt terra, & plenitudo eius. & de quo Eccleſiaſt. XVII. Dedit illi deus poteſtatem eorum, quæ ſupra terrã. & Zachariæ XIX. Poteſtas eius a mari uſque ad mare. et Apoc. XIX. In cuius ueſtimẽto et femore ſcriptum eſt, Rex regum, & Dominus dominantium. & proinde permiſerit ſe a Magis regibus adorari; ſibiq; decentia regi munera offerri: Mat. I I. & de ſe ipſo aſſerere uoluerit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. uoluit tamen in paupertate & humilitate naſci, creſcere, & uitam ducere: ut ſui exemplo nos doceret ad operandum ſecundum uirtutem: & quam aptior uia eſt, humilitas, & mundi contemptus: quod etiam ſtoicis placuit. utq; de cordibus hominum omnem euelleret ſuſpicionem, ſe ad hoc ueniſſe, ut mundo dominaretur: cum

ad hoc uenerit, ut cœlestis regni uiam nobis aperiret: & ea bona condonaret, quæ uere bona sunt, non hæc caduca & fragilia, despicienda potius, quàm optanda. Nec propterea interdixit suis dominia, aut diuitias: cum hæc humilitas & paupertas consilii fuerit, non præcepti. alioqui & Reges, & principes, & omnes sub eo militantes onerasset: & quæ, etsi deceret & expediret in exordio nascentis ecclesiæ; propagato tamen euangelio, & constituta ecclesia, refrigescente iam charitate, & fidei feruore, minime expediebat: cum uix fieri posit, ut quisquam, etiam si Petri sanctimoniam haberet, sola uitæ integritate ecclesiæ auctoritatem tueretur. Et quemadmodum apostoli futuram ecclesiam in gentibus præuidentes, prædia in Iudæa minime sunt adepti: sed pretia ante eorum pedes posita egenis distribuebant: deinceps tamen ecclesia retentis prædiis redditus duntaxat distribuebat. sic etsi apostoli nulla usi fuerint temporali potestate, & uere dixerit Bernardus ad Eugenium, Stetisse lego apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego: indecens non fuit, & forte necessarium fuit, multiplicatam ecclesiam, eamq; in gentes diffusam, non solum prædia, sed etiam temporale dominium posidere. Quòd si sacerdotes ueteris legis (ut de Moyse &

Machabæis legitur) non ſolum ſacerdotes, ſed principes fuere populi: quis prohibet ſacerdotes nouæ legis, illis maiores, & digniores, principatum & temporale dominium obtinere? Item dixit dominus Petro, & in Petro ſucceſſoribus ſuis: Quodcunque ligaueris &c. nihil excipiendo, nec temporalia, nec ſpiritualia. Igitur nec nos excipere debemus: & fateri cogimur, etiam in his quæ ſeculi ſunt, quæ temporalia appellamus, poteſtatem & auctoritatem tributam. Præterea ſi ſeculi poteſtas incompatibilis foret eccleſiaſticæ, ſubſequeretur, quòd ſi rex, uel qui uis alius princeps ſeculi, ad ſacerdotium aut epiſcopatum aſſumeretur, eo principatu priuaretur: ad quem forte alius æque idoneus non reperiretur; metuq́; amittendi regni aut principatus retraherentur reges & principes a ſacerdotio. Inſuper ſicut ſpiritus & corpus non repugnant, quin hominem conſtituant, imo alterius ab altero ſeparatio interitus ſit hominis: ſic nec inuicem incompatibiles ſunt ſpiritualis auctoritas, & temporalis: nec ſubſequitur: ſeculi poteſtas, & ſpiritualis ex oppoſito diſtinguuntur: ergo inſimul eſſe non poſſunt. quoniam intellectualis uirtus, & moralis ex oppoſito diſtinguuntur: & tamen in eodem eſſe poſſunt.

Quod autem legimus Io. VI. Chriſtum

Iesum fugisse, cum cognosceret Iudæos uenturos, qui eum regem facerent; ideo fuit, quia uenerat mundum redempturus, non regia potestate (etsi rex foret) sed proprio sanguine, humilem & pauperem uitam uiuens. uel forte fugit, cum eum regem facere uoluerunt, ne derogaret dignitati regni sui, de quo dicitur, Prouer. VIII. Per me reges regnant. Visus enim fuisset derogare, regnum ab hominibus accipiendo, prout alii reges; qui testatus fuerat Io. V. claritatem ab hominibus non accipio.

Pari modo intelligendum est quod dixit, Regnum meum non est de hoc mundo; id est, non ex humana electione, aut successione. uel aliter, regnum meum, id est fideles mei: iuxta illud Apocal. V. Fecisti nos deo nostro regnum; non est de hoc mundo, id est per affectum & imitationem: sed erepti sumus è tenebris mundi per gratiæ suæ collationem. uel aliàs, regnum meum, id est potestas mea, uel auctoritas, non est ex hoc mundo, id est ex causis mundanis, sed ab ipso patre, iuxta illud Daniel. VIII. Potestas eius, quæ non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur. ideo subiicitur inferius: Regnum meum non est hinc, id est principium non habeo ex mundo.

Ex eo, quòd dominus noster, Iesus Chri

ſtus, ſolui iuſſerit tributum Cæſari; non ſubſequitur, ipſum, qui ſacerdos & pontifex erat, ſe Cæſaris ſubditum oſtendiſſe. quoniam non dixit Ieſus, quòd dare deberent tributum Cæſari, nec ut dari liceret; ſed, Reddite, inquit, illi quod ſuum eſt. ſi quid ab eo accepiſtis, æquum eſt ut quid eidem uicißim reddatis. quinimo ex ea interrogatione, quam fecit ſaluator Petro, Quid tibi uidetur, Simon: reges terræ a quibus recipiunt tributum, uel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis? & quod reſpondenti, Alienis; dixit, Ergo liberi ſunt filii. ut autem non ſcandalizemus eos, uade ad mare &c. clare conſtat Chriſtum et Petrum a tributo ſoluendo ipſo iure fuiſſe liberos: tamen exactum pro tempore ſoluendum ad euitanda ſcandala.

Nec ex illis uerbis apoſtoli ad Gala. ult. Vbi uenit plenitudo temporis, miſit deus filium ſuum, factum ſub lege; ſubſequitur, ergo exiſtenti ſub iudice non licet iudicare, præcipere, aut temporale dominium obtinere. cum ex illis uerbis, & ex his quæ ſubſequuntur, potius conetur apoſtolus euacuare ſeruitutem legis Moſaicæ, quàm principatum inhibere.

Minus etiam per illa uerba, quæ dixit Chriſtus diſcipulis de primatu contendentibus, Reges gentium dominantur eorum:

uos autem non ſic; interdixit principatum & ſuperioritatem, quam Petro dederat, cum paſcendas oues commiſit: ſed tyrannicum principatum, quo gentium principes utuntur ad ſuam, non ſuorum utilitatem, ex Origenis ſententia, cum illa uerba interpretatus eſt, Scitis quia principes gentium dominantur ipſorum: & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos. inquit enim, Non ſunt contenti, regere tantum ſubditos, ad unam uidelicet ipſorum utilitatem, ſed uiolenter eis dominari nituntur. & Chryſoſ. Principes mundi ita gerunt principatum, ut dominentur minoribus, et ſeruituti eos ſubiiciant, ut expolient, et ad mortem uſque eis utantur, ad ſui utilitatem et gloriam. ſed hæc principes gentium, qui ignorant deum: qui non cogitant ſe communi domino ſeruire, atque illi diſtinctam omnium rationem reddere debere. Vos autem non ſic. uos, inquit, qui mei eſtis, non inſtar eorum, qui deum ignorant, ſed ueluti in oculis communis domini, ſuper conſeruos et fratres ueſtros, non ad ueſtram (quæ tyrannis eſt) ſed ad eorum tantum commoditatem, et communis domini gloriam principatum et primatum exercebitis.

Quòd uero uetat apoſtolus deo militanti, ſecularibus ſe implicare negotiis; mone-

re uoluit, ita se adiicere secularibus negociis, ut non obliuiscerentur spiritualium, in tantum ut illorum nullam susciperent curam, sed Dei & animæ suæ obliuiscerentur. Vtrũque enim importat, uerbum Implicare, nempe uoluntatem ultro se immergentis secularibus negociis, atque ita se immergentis, ut ab illis penè obruatur: & usque adeo implicitus, ut ueluti illaqueatus, pro arbitrio explicari non posit. quomodo interpretari debet Canon septimus apostolorum, seu apostolicorum, Quo habetur, Episcopus, aut presbyter, aut diaconus nequaquam seculares curas assumant: sin autem, deiiciantur. Et LXXXVIII. dist. c. Episcopus. Et quod habetur in epistola Clementis, aut quæ Clementi inscribitur in. c. Te quidem. XI. q. I. cum Petrus inquit: Te quidem oportet irreprehensibiliter uiuere, & summo studio niti, ut omnes occupationes huius mundi abiicias: ne fideiussor existas: ne aduocatus litium fias: ne'ue in ulla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis officii occasione perplexus. neque enim iudicem, neque cognitorem secularium negociorum hodie te ordinare uult Christus: ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis uerbo Dei uacare. Si enim uoces illas, Occupatione perplexus, & præfocatus, per-

penderimus; apparebit non inhibitum tem porale dominium, aut temporalium administrationem: ſed adeo in his fore occupatos, ut perplexi & ſuffocati ſecularibus curis, obliuiſcamur & negligamus quæ ſpiritualia fuerint.

Ex eo, quòd dominus noſter, Ieſus Chriſtus, interpellanti de turba, ut fratri ſuo hæreditatem diuideret; reſpondit: O homo, quis me conſtituit iudicem & diuiſorem ſuper uos? non recte infertur, eum caruiſſe omni ſeculari iuriſdictione: ſed tantum innuere uoluiſſe, non ad hoc miſſum, ut lites iudicio dirimeret, ſed ut humanum genus redimeret, & patri reconciliaret.

Quod uero ait Chryſo. lib. dialogorum, qui de ſacerdotali dignitate inſcribitur lib. I I. cap. I I I. ſuper illud Apo. I I. & Cor. primæ. Non dominantur fidei noſtræ hi qui foris ſunt iudices: malignos quoſcunque eos ſubdiderint, oſtendunt in eis plurimam poteſtatem in eos, inuitos a priorum morum grauitate compeſcunt: in eccleſia uero, non coactum, ſed acquieſcentem oportet ad meliora conuerti: quia nec nobis a legibus data eſt talis poteſtas, ut auctoritate ſententiæ cohibeamus homines a delictis; intelligendum eſt de ea auctoritate, qua utitur ſacerdos in peccatorem, cum eum peccata confitentem

a peccatis cohercere uoluerit: nec enim tunc aliquam coactiuam potestatem exercere poterit, aut debet.

Similiter ex eo, quod habetur Io. XVII. Consummaui onus, quod dedisti mihi ut facerem; non recte quidam colligunt, Iesum Christum nullam habuisse coactiuam iurisdictionem. quia si habuisset, ea usus fuisset, ut onus datum a patre consummaret. cum magis sequatur, non ea usum fuisse, quia non hoc mandauit pater, ut ea uteretur: quia in humilitate & paupertate missus est saluare nos.

Fatemur tamen quod dixit Chryso. in dialogo, & habetur XXIII. q. VIII. c. Petrus; Petrum, qui Tabitam defunctam orando suscitauit, Ananiam & Zaphiram mentientes morti increpando tradidit, non usum coactiua iurisdictione, nec officii potestate: quoniam iudex sanguinis extitisset: sed id fecisse ex potestate faciendi miracula ei data, ut Petro, non ut apostolorum principi, & summo Pontifici.

Fatemur etiam, quòd ex eo, quod habetur Cor. VI. Nescitis quoniam angelos iudicabitis? quanto magis secularia? non colligitur sacerdotes, aut summum Pontificem in spiritualibus & temporalibus habere plenitudinem potestatis: quoniam noluit Pau-

lus eximere christianos a iurisdictione infidelium principum: sed hortari uoluit Corinthios, quòd priusquàm ad iudicium accederent infidelium, per arbitros christianos causas inter se terminarent: quod postea ab ecclesia decretum fuit, iuxta c. Primates. I. q. II. c. Studendum XCVI. dist. c. Si illis XXIII. q. IIII. c. Quædam. de simo.

DE RESIDENTIA EPISCOPORVM.



RESIDENTIAM Episcoporum in suis ecclesiis necessariam esse & opportunam, illos uero magna dignos reprehensione, qui non resident; comprobatur quamplurimis sacræ scripturæ testimoniis, & sanctissimorum conciliorum decretis. & primo, Hiere. XII. Pastores multi demoliti sunt uineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum desolationis, posuerunt eam in dissipationem, luxerunt super me desolatione: desolata est omnis terra, quia nullus est, qui cogitet corde. & capite XXIII. Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non uisitastis eos. ecce ego uisitabo super uos malitiam studiorum uestrorum, dicit dominus.

His concordat Ezech. cap. III. Fili hominis, speculatorem dedi te de ore meo, uerbum ut annuncietis eis ex me. si dicente me ad impium, Morte morieris; non annunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur a uia sua impia, & uiuat; ipse impius in

iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius requiram de manu tua.& cap. XXXIIII. Veh paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemet ipſos. non'ne greges a paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non queſiuiſtis: ſed cum aſperitate imperabatis, & cum potentia. & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei: & non erat qui requireret. propterea, paſtores, audite uerbum domini. Viuo ego, dicit dominus Deus ueſter, quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quòd non eſſet paſtor: neque enim quæſiuerunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. propterea, paſtores, audite uerbum domini. hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores

requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore ipsorum.

Satis foret hoc Ezechielis testimonium, ut resipiscerent Episcopi, & alii pastores, qui deserunt gregem suum, sed magis illos deterreat quod dixit saluator noster: Io. x. cum dixit: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium: huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt, & proprias oues uocat nominatim, & educit eas: & cum proprias oues emiserit, ante eas uadit: & oues illum sequuntur: quia sciunt uocem eius: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerũt uocem alienorum. Et ex post: Ego sum pastor bonus. bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Secutus magistrum suum Petrus, Pasci-

te, inquit, qui in uobis est gregem Dei, non coacte, sed spontanee, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed uoluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. & habetur primæ Petri cap. v.

Eosdem monuit Paulus act. XX. cum dixit: Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo spiritus sanctus posuit uos Episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Hinc Nicenum concilium statuit Cano. XV. nulli Episcopo licere, ecclesiam suam deserere, et ad aliam transire. et habetur in c. Non oportet. VII. q. I.

Item Cano. XV. Antiochen. concilii decernitur, quòd siquis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione priuari. & habetur in c. Siquis Episcopus. XCII. dist. propterea Sardicen. concilii Cano. VIII. inhibetur Episcopis, ne ad comitatum accedant, nisi hi qui religiosi Imperatoris literis uel inuitati, uel uocati fuerint. & Cano. XIIII. Episcopo nec licere, nec decere, si nulla sit tam grauis necessitas, quæ detineat, ut ultra tres dominicos dies

absens sit ab ecclesia sua. & Cano. XXIIII. Calcedoneñ. concilii cauetur, quòd siquis Episcoporum intra menses tres munus consecrationis non acceperit, debeat ecclesiæ condemnationi subiacere: redditus uero eiusdem uiduatæ ecclesiæ integros reseruari apud œconomum ecclesiæ.

Ex concilio Agateñ. habetur quod legitur in c. Siquis in clero. VII. q. I. quòd siquis in clero constitutus ab ecclesia sua, diebus solennibus defuerit, id est natiuitate domini, Epiphania, Pascha, uel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quàm seruitio Dei parere; conuenit ut triennio à communione priuetur. Similiter Diaconus uel presbyter si per tres ebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi subiaceat.

Canone etiam XXIIII. octauæ synodi habetur, Diuina scriptura dicente, Maledictus homo qui facit opus negligenter. & ex post: Quisquis igitur Metropolitanorum post hanc sanctæ uniuersalis synodi definitionem eadem audacia, uel superbia, & contemptu abusus, non per se cum timore et alacritate, seu conscientia bona debita ministeria in propria ciuitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentauerit, pœnas exoluat coram proprio Patriarcha; aut corrigatur.

Extant etiam ſanctiſsimorum Pontificum quamplura monita, & decreta. inter quæ memoria excidere non deberet quod dixit Damaſus epiſtola IIII. de Epiſcopis, qui curas ſuas aliis delegant; cum dixit, quòd ſimiles ſunt meretricibus, quæ ſtatim ut pariunt infantes ſuos, aliis nutricibus tradunt, ut ſuam citius libidinem explere ualeant. Sic & iſti infantes ſuos, id eſt populos ſibi commiſſos aliis educandos tradunt, ut ſuas libidines expleant, id eſt pro ſuo libitu ſecularibus curis inhient, & quod unicuique uiſum fuerit, liberius agant. pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, eccleſiæ deſtruuntur, ſacerdotes uitiantur, & reliqua mala proueniunt. non taliter dominus, nec apoſtoli inſtituerunt. Sed ipſi qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant, & ipſi proprios manipulos domino repræſentent. nam ipſe ouem perditam diligenter quæſiuit, ipſe inuenit, ipſe propriis humeris reportauit, nosq; idipſum facere perdocuit.

Poſt eum, legamus Gregorium in paſtorali: qui oſtendens qualis eſſe debeat Epiſcopus, Sit, inquit, Epiſcopus in cogitatione mundus, in actione præcipuus, in ſilentio diſcretus, in uerbo utilis, in operatione ſingularis, in contemplatione ſuſpenſus, ætate

antiquus, fide integer, pressura probatus: qui magis uelit rerum suarum proscriptionem, quàm ecclesiam & subditos deserere. Proinde Nicolaus Papa, & habetur in c. Pontifices. VII.q.I. dixit: Episcopi qui dominici gregis suscipiunt curam atque solicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet: ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus.

Et usque adeo damnãdus Episcopus est, in sua non residens ecclesia, quòd in monasterium detrudendus sit, ex epistola Gregorii ad Antimium Subdiaconum, registrata VI.q.I.c. Peruenit. & Anastasius tituli sancti Marcelli Cardinalis dignitate priuatus fuerit c.II. de cleri. non resi. & Inno.III. decreuit, alium deligendum Archiepiscopum Ragusiñ. quòd Archiepiscopus per triennium expectatus, & per literas reuocatus, ad ecclesiam suam non redierat. c. Qualiter. de cleri. non resi. quod idem mandauit Celesti. III. de Decano, qui per decem annorum spatium abfuerat: ut habetur in c. Ex parte. eod. titu.

In tantum autem necessaria est Episcoporum residentia, ut propter aduersitatem, aut persecutionem, nisi certis casibus infra exponendis, Episcopus deserere non posit

ecclesiam suam.c. Suggestum.c. Aduersitas.
VII.q.I.ex sententia Liberii & Greg. Pontificum.

Si quis autem quæsiuerit, an Episcoporum residentia iuris sit diuini; respondebimus, eo modo posse de iure diuino dici, quo Romani Pontificis & sacrorum conciliorum decreta de iure diuino dici possunt: quia scilicet instinctu spiritus sancti unanimi patrum consensu fuere sancita.c. Nimis.de iur. iur. cum not. ab Inno. Osti. & aliis. & in c. Quo iure.VIII. di. cum dicitur: Iura humana per Imperatores & rectores seculi Deus instituit humano generi. & c. fi.XVI.q.III. & l. fi.C. de præscrip. longi tempo. dicuntur leges diuinitus per ora principum promulgatæ. Potest & alio modo dici de iure diuino, inquantum illa dici potest lex diuina, quæ principaliter instituitur ad dirigendum hominem in Deum, sicut humana ordinat homines ad inuicem. præcipuum enim Episcoporum munus est, animarum cura, qua funguntur in doctrina, iuxta illud apostoli: Oportet Episcopum esse doctorem. & id quod dicitur in ordinatione Episcopi: Vade, prædica populo tibi commisso. administratione sacramentorum, eorum præcipue, quæ administrare solus Episcopus potest. & in uisitatione, quam nisi ipse præstaret, non

esset pastor custodiens gregem, & uisitans singulas oues, ut unicuique tribuat quod conuenit: quæ recensuit Ezechiel loco supra citato.

At sumendo ius diuinum in suo proprio significatu, quod scilicet institutum sit a Deo, & Saluatore nostro, in ueteri aut noua lege, cuiusmodi sunt articuli fidei, sacramenta ecclesiæ, & decem legis præcepta; Episcoporum residentia nequaquam de iure diuino dici debet. quoniã etsi Episcopatus sit de iure diuino, & Saluator noster instituerit apostolos suos, Episcopos, siue in cœna (ut est communior opinio) siue quando misit eos ad baptizandum, & prædicandum: tamen prout habet præeminentiam super alios clericos, fuit ad tollenda schismata postea institutum c. Olim. XCV. di. c. Legimus. XCIIII. di. utrunque ex epistola Hieronymi ad Euagrium. Et licet in singulis ciuitatibus ab apostolis & eorum successoribus constituti fuerint Episcopi, & hac etiam fortasse ratione dici posset, Episcopos iure diuino institutos, c. I. & II. LXXX. di. non erant tamen Episcopatus distincti. propterea, quem unus excommunicabat, alius absoluebat: ex sententia Inno. Osti. & Abb. in c. Cum causam. in fi. de probat. Sed postea Dionysius Pontifex, qui fuit post Christum annis

CCLXX. uel circa, in urbe presbyteris ecclesias & cœmiteria diuisit, foris autem parochias & dioceses distribuit, constituitq; , ut quisque suis finibus contentus esset, ut habetur in c. Ecclesias XIII. q. I. & hoc modo interpretandum quod habetur in c. I. XXII. di. Omnes Metropoles, & omnium Episcopatuum cathedras Romanam ecclesiam constituisse. Et ideo, quòd Episcopus in hoc uel illo loco residere teneatur, harum ouium uel illarum curam gerat; nec a Saluatore, nec ab Apostolis institutum fuit. propterea nequaquam iuris diuini esse potest, quòd quis magis in uno, quàm alio loco resideat. Item Canones puniunt non residentem, tanquam sacrorum Canonum, non autem tanquam iuris diuini transgressorem c. II. de cleri. non resi. Igitur residentia non est iuris diuini.

Præterea quod propter sui mutabilitatem & uarietatem recipit determinationem ab ecclesia, in eo quod recipit mutationem non est iuris diuini: quemadmodum confessio, licet sit iuris diuini, non tamen quòd tali tempore, tali modo, huic uel illi sacerdoti fiat: in quibus recipit mutationem. Proinde licet Episcopatus sit iuris diuini, a Christo ipso institutus: modus tamen residentiæ, qui subiectus est mutabilitati propter multiplices casus, quibus quis residere non tenetur;

nequaquam iuris diuini censendus erit.

Comprobantur præmissa & alia ratione, quoniam si residentia foret de iure diuino, cum nemo in duobus locis residere possit, nequaquam potuissent Romani Pontifices uni duas ecclesias committere: quod tamen D. Gregorius fecit, qui Fundano Episcopo Terraciñ. commendauit, ut habetur in c. Relatio XXI.q.I. qui etiam, ut unus duabus præficeretur ecclesiis, duas simul uniuit. c. Et temporis qualitas. XVI.q.I. nec potuisset beatus Paulinus, Nolañ. Episcopus (ut refert Gregorius libro III. dialogorum) pro uiduæ filio se in seruitutem dedisse, & tot annis, quibus Vandalorum Regis seruus fuit, ab ecclesia sua abesse: de quo tamen summis laudibus extollitur. nec etiam D. Remigius cum Remensi ecclesia Lugdunensem regere: quod tamen fecit. Habetur enim in Galliarum annalibus, & refert Archiepiscopus Florentiñ. tertia parte summæ ti. primo cap. XXI. quòd cum Genebaldus Archiepiscopus Lugduneñ. prius cum uxore sua communi cõsensu regularem uitam professi fuissent, deinde uoti reus ex uxore filium, quem latronem nominauit, suscepisset, confessus reatum suum beato Remigio, interim quo Genebaldus pœnitentiam ageret, beatus ipse Remigius Lugduneñ. ecclesiam guberna-

uit; quem deinde peracta pœnitentia, renun cianteq; angelo peccatum remissum, pristinæ restituit administrationi.

Hoc idem confirmatur ex his, quæ tradit sanctus Thomas. secunda secundæ. quæst. CLXXXV. dum differens, quando liceat Episcopo abesse a sua ecclesia, inquit, quòd in qualibet obligatione attendi debet obligationis finis. & cum Episcopi sese astringant ad exequendum pastorale officium, propter subditorum salutem; ubi subditorum salus exigit pastoris præsentiam, non debet pastor gregem suum deserere, nec propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum: cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si uero subditorum saluti posit sufficienter per aliũ prouideri in absentia pastoris, tunc licet pastori uel propter aliquod commodum ecclesiæ, uel personæ periculum, personaliter gregem suum deserere. Si igitur casu aliquo permittitur Episcopo gregem suum deserere, non erit residentia iuris diuini, quod nullam admittit mutationem & uarietatem. propterea inuicem pugnare uidentur quę dixit Cardinalis Caietanus, primus assertor residentiam Episcoporum fore iuris diuini; cum fatetur, quòd etsi residentia sit iuris diuini,

uini, eſt tamen aliqua perſonæ conditio, quę ipſum a reſidentia excuſat, quando ſcilicet eiuſmodi ſit, ut melius aut ſaltem æque bene regatur ab alio eccleſia, eo abſente. imo ex aſſertione ſua colligitur, non eſſe iuris diuini, cum admittit, quòd quando negocium exigens abſentiam Epiſcopi, ad uniuerſalis eccleſiæ bonum ſpectat, ut cum intereſt generali concilio, aut legatione fungitur pro pace inter principes concilianda, licite per alium deſeruire poteſt eccleſiæ: & ab ea abeſſe, ex eo quòd bonum partis ordinatur ad bonum totius, ut finem: cum debeat pars exponi pro totius bono: etiam ſi oporteat ipſam detrimentum pati: ut cum inciditur manus pro totius corporis ſalute. nec etiam negauit, quòd Epiſcopus ſalua conſcientiæ puritate ex rationabili cauſa poteſt abſtinere ab aliquo proprio ſibi actu, & per alium illum exercere, puta per alium ſe magis idoneum populo prædicare uerbum Dei, exemplo Valerii Hiponeñ. Epiſcopi, qui per Auguſtinum prædicabat. ex quibus ipſiuſmet uerbis contrarium ſuæ aſſertionis colligitur, non eſſe iuris diuini reſidentiam Epiſcoporum, & poſſe quem per alium fungi officio ſuo. nec enim omittere poſſet id, ad quod iure diuino tenetur, ut quid aliud faceret, ad quod nec diuino nec humano iure tenetur.

Nec præmiſsis repugnat, ſi dicatur, Sicut ſaluator dixit Petro, Paſce oues meas; non, Paſcere facias: & Petrus ex præcepto domini tenebatur illas paſcere: ſic & Epiſcopus commiſſas ſibi oues paſcere debet, non aliis paſcendas committere: licet, ꝙ hæ non illæ commiſſæ ſint, iuris ſit humani. quoniam etiam ſi concedatur, paſcere oues ſibi commiſſas fore diuini iuris, non tamen per ſeipſum paſcere: modo ex legitima abſit cauſa. aliàs Apoſtoli uiolatores fuiſſent diuini iuris, cum ipſis etiam particulares eccleſiæ forent commiſſæ, ut Iacobo Hieroſolimitana, Ioanni Epheſina, & aliæ aliis: & tamen ad diuerſas prouincias diuertebant, annunciantes uerbum domini: & cum Epiſcopatus munere fungebantur Apoſtolatus officio.

Secundo non obſtat præmiſsis, quòd qui aliquid præcipit, & illud præcipere uidetur, ſine quo prius mandatum fieri non poteſt. paſtoralis autem cura uerbo domini mandata, Paſce oues meas; præſtari non poteſt ſine perſonali reſidentia: quoniam dictum fuit, Paſce oues; non, Paſci facias. ergo & perſonalis reſidentia uerbo domini mandata cenſebitur. reſpondetur enim, quòd licet admitteremus reſidentiam uerbo domini mandatam, non tamen in hoc uel illo loco reſidere eſt à domino, ſed à Rom. Pontifi-

ce demandatum. is enim eſt, qui diuiſit parochias & dioceſes, & Epiſcopos in partem ſolicitudinis uocauit. Præterea nec uerum eſt, quòd non poſsit paſtoralis cura adhiberi ſine aſsidua reſidentia: quia eſſe poteſt, quòd abſentia utilior ſit uel particulari uel uniuerſali eccleſiæ, quàm præſentia. particulari quidem, quia contingere poteſt, ut quis abſens utilior ſit ſuæ eccleſiæ, quàm pręſens. quemadmodum bonus paſtor, relicto etiam imbecilli ſene ad cuſtodiam gregis, ipſe per ſaltus & ſiluas lupos perſequens, eos facilius arcet ab ouili ſuo: nec propterea dicetur illud deſerere. uniuerſali autem quis utilior eſſe poteſt in abſentia, quàm ſi præſens ſit, ut de Timotheo legitur, quòd quamuis eſſet Epheſinus Epiſcopus, tamen mandante Paulo aliis inſeruiuit eccleſiis.

Tertio non obſtat, quòd dominus eum uocat bonum paſtorem, qui intrat per oſtium, qui oues uocat nominatim, & ante illas uadit: quæ præſentiam requirunt paſtoris. quoniam etſi illæ conditiones ſint boni paſtoris, non propterea requiritur aſsidua & perpetua præſentia & reſidentia. uel forte admonitiones ſunt, non præcepta.

Quarto non obſtat, quòd Epiſcopi dicantur ſuccedere in locum Apoſtolorum: Apoſtolis autem ita fuiſſe demandatam curam euange

lii prædicandi, ut hoc ipsum per seipsos facerent, dicente Apostolo, Veh mihi, si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit. quia respondetur, Episcopos non fore Apostolorum successores in officio Apostolatus: ratione cuius non licebat eis non euangelizare. in quo officio nullum habuerunt successorem. uel forte dici potest, non iniungi necessitatem per seipsos euangelizandi, sed potuisse & id munus per alios impartiri: quemadmodum Paulus misit Timotheum, & Petrus alios, sicut & Petrus, & si ei dictum fuisset, Pasce oues meas; non tamen mandatam, quòd per seipsum: quod etiam impossibile fuisset, pascere uidelicet per uniuersum orbem oues domini: sed alios etiam assumpsit in partem solicitudinis.

Quinto non obstat, quòd in consecratione Episcopi dicatur, Vade, prædica populo Dei; non autem, Mitte alios ad prædicandum. quia respondetur uerba illa, Vade, prædica populo Dei; non esse uocem Dei, sed ecclesiæ: & propterea ex hoc potius colligi, residentiam fore mandatum ecclesiæ, non autem Dei. Quin nec etiam ex illis uerbis constat, quòd per seipsum prædicare debeat: aliàs peccasset Valerius, qui Augustinum ad prædicandum substituit.

Sexto, non obstat quòd dixit Apostolus, oporte

re Episcopum fore doctorem; quasi frustra id requiri, si hoc munus per alium implere potest: & ad residentiam ex eo præcepto teneri. sic de uisitatione, de præcepto quòd agnoscant uultum ouium suarum: quæ uidentur non posse per alium expleri. quia respondetur, quòd etsi oporteat Episcopum esse doctorem, idest docere quæ ad fidem & religionem spectant: non tamen subsequitur, quòd perpetuo residere teneatur: quoniam per alium docere potest: quin etiam per epistolam docere potest, sicut Apostolus per epistolas absens docebat; beatus Cyprianus, & alii: imo quandoque per alium prædicare cogitur, ut cum dioceses amplæ sint, nec omnes eodem loco conuenire possunt: &, ut coadiutores assumant, eis mandatur, ut in c. Inter cætera. de off. ord.

Septimo, non obstat, quòd si iure diuino debetur sacerdotibus uictus, & necessaria, & propterea Dei mandato præceptum, dari decimas Leuitis: & Christus mercede dignos pronunciat sacerdotes; præcipiatq; Paulus primæ Cor. IX. ne nobis os alligetur; subsequi, q cum hoc nobis debeatur iure diuino, sacerdotes debitores sint officii sui, quod non nisi præsentes præstare possunt: cum non uideatur rationi consonum, deberi decimas sacerdotibus, & eodem iure non de-

beri ministerium & seruitium tabernaculo. quoniam respondetur, id non recte colligi. si enim ex hoc, quòd de iure diuino debeatur merces Episcopo; colligatur, ergo ipse de iure diuino tenetur impendere officium suum; itidem quoduis officium mercenarii deberetur iure diuino, & diuini iuris esset prædicatio uerbi Dei à religiosis & aliis, quòd eis iure diuino debeatur merces.

Octauo, non obstat quòd actus Episcopatus ab Ezechiele enumerati aut asiduum aut frequens tempus exigere uideantur: & licet omne tempus non assumatur in officio pastorali, nullum tamen est tempus, quo non opus sit Episcopum fore paratum ad illud præstandum. quodq; licet præceptum affirmatiuum non obliget ad semper, hoc tamen obligare uidetur, saltem ut asidue. quoniam respondetur male colligi: ad ea asidue tenentur: ergo per seipsos præstare tenentur.

Nono, nec obstat quòd si residentia non esset iure diuino debita, tolli posset contraria consuetudine. quoniam tolli non potest contraria consuetudine, non quia sit iuris diuini; sed quia iniustum est, quem perpetuo abesse ab ecclesia sua: sicut nec lex iusta tolli potest contraria consuetudine, permanente ratione legis.

Decimo, non obſtat, ſi dicatur, Si tolleretur præcepta reſidentia, adhuc debita foret, & non iure humano, ergo diuino. quoniam ſi id recte colligeretur, plura alia humana præcepta forent diuini iuris, ex eo quòd ſublato iuris præcepto, cum de ſe bona ſint, adhuc eſſent facienda. quoniam iuſtus etiam nulla lege mandante, faceret quod iuſtum eſt: & inde dicatur, Lex non eſt impoſita iuſto. ipſe enim eſt ſibi lex.

Si quis autem ſcire concupiſcat, quando liceat Epiſcopo abeſſe ab eccleſia ſua, legat ſanctum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. CLXXXV. art. IIII. cum dixit, quòd in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis: & cum Epiſcopi ſe obligent ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem; ubi ſubditorum ſalus exigit paſtoris præſentiam, non debet paſtor gregem ſuum deſerere, nec propter commodum aliquod temporale, neque propter aliquod perſonæ periculum. at ſi ſaluti ſubditorum poteſt in abſentia paſtoris prouideri, tunc licet paſtori uel propter aliquod eccleſiæ commodum, uel propter perſonæ periculum gregem deſerere: ut Paulus fugiens Damaſci perſecutionem Iudæorum, & Athanaſius Conſtantii. Vnde Auguſtinus in epiſtola ad

Honoratum dixit: Fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, cum eorum quisque à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur ecclesia. Cum autem omnium commune est periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigetur. Si enim est periculosum, in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus? ut dixit Nicolaus in c. Sciscitaris. VII. q. I.

Intemperies etiam aeris licita causa est absentiæ Episcopi à sua ecclesia, cum scilicet ad recuperandam ualetudinem medicorum consilio ad salutem conferret aeris mutatio. Item ut interesse posit concilio siue uniuersali, siue prouinciali. quoniam bonum totius ecclesiæ præferendum est bono particularis ecclesiæ. Similiter ratione legationis pro concilianda pace: eadem ratione uocatus à Romano Pontifice pro commodo uniuersalis ecclesiæ: uel si accesserit ad regis curiam pro defendendis iuribus ecclesiæ suæ.

DE BENEFICIORVM PLVRALITATE.


ENEFICIORVM ecclesiasticorum pluralitas toties uetita nunquam satis potuit cohiberi, quin semper erumperet: incertum nimia'ne Romani Pontificis in dispensando facilitate, an impudenti petentium importunitate, uel potius utraque ex causa. Ecclesiæ probe quidem consuleretur, si illi modus adhiberetur: quod par uo negocio fieret, si solius necessitatis aut utilitatis ecclesiarum recto iudicio, non autem personarum ratio haberetur: de qua pluralitate audiamus Chrysostomum dicentem: Quod tenebra erubuit, lumen erubescat: quod figuræ non fuit concessum, rei reor fuisse illicitum. Figuræ autem non fuit concessum, quòd qui inter Leuitas capiebat in Bethleem, caperet in Hierusalem. Audiamus & Bernardum dicentem: Qui plura habet beneficia, non unus sed plures erit in suppliciis. Execranda autem, quia de iis est, quæ sui natura mala sunt, & quorum comites sunt animarum periculum, & turpitudo. De animarum periculo attestatur Lateran.

concilium in c. Quia. de præben. cum dicitur: Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas uel tres, sed plures ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam prouisionem impendere, per fratres & Coepiscopos nostros hæc emendari præcipimus: & de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & euagationis inducit, certumq́; continet periculum animarum, eorum qui ecclesiis deseruire ualeant indigentiam uolumus subleuari. Turpitudinem uero illius designat canon septimæ synodi: qui habetur in c. Clericus ab instāti.XXI.q. I. cum dicitur: Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis. negociationis enim est hoc, & turpis lucri commodum. Et quod dixit Gregor. in epistola ad omnes Episcopos, & habetur in c. Singula LXXIX. dist. Sicut indecorum est in corpore humano, ut alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirū noxium, simulq́; turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hinc inhibitum fuit, ne quis duo retineret curata. c. Dudum. de elect. quòd non possit habere plures personatus, aut dignitates.d.c. Dudum. & in c.I. XIII.q.I. & c. Episcopi LXXX. di.c. in Apibus VII.q.

I. quòd nemo posſit retinere plura beneficia requirentia reſidentiam.c.Clericos.c. Relatũ c. Nonnulli, de cleri.non reſiden.c.Presbyteros.XVI.q.I.quòd nullus poſsit habere duo beneficia quantumcunque modica in eadem eccleſia.c.Conſuetudinem.de conſue.lib.VI. Hinc ſucceſsiue eccleſia nouum addidit uinculum plura habenti beneficia. Ante enim Lateraneñ. concilium habitum ab Alex.III. anno MCLXXIX. obtinens plura beneficia curata, non priuabatur ſecundo, ſed habebat optionem retinendi primum, uel ſecundum.c. Referente.c. Præterea. de præben. in dicto Lateranen. concilio decretum fuit, quòd ſecundo priuaretur: non quòd foret ipſo iure priuatus.c. Quia nonnulli.de cleri. non reſi. Succeſsiue per c. de Multa. de præben. fuit inductum, quòd per aſſecutionem ſecundi uacaret primum: & ſi retinere contenderet, etiam ſecundo ſpoliaretur. Nouiſsime per extrauag. Execrabilis, fuit ſtatutum, quòd ſi poſt habitam poſſeſsionem ſecundi primum retineret, aut per eum ſtaret, quo minus ſecundi poſſeſsionem haberet c. Commiſſa. de elect.c. Licet Epiſcopos. de præb.in VI. etiam ſecundo ſit ipſo iure priuatus: cum ſecũdum diſpoſitionem.c. De multa, fuiſſet priuandus, non ipſo iure priuatus, quæ quatuor tempora collegit Abb. in.d.c.

Nonnulli. de præben.

Pro ampliore tamen præmiſſorum explanatione, aduertendum uidetur, quod licet ius naturale, quantum ad prima & communia eius principia, omnino immutabile ſit, & apud nos eadem ſemper ratio rectitudinis: longe tamen diſtare quæ ad praxim & externos actus ſpectant, a ſpeculabilibus. quoniam in ſpeculabilibus etiam ueritas deductarum ex principiis concluſionum immutabilis eſt, & eadem apud omnes ueritas, ſicut & principiorum: licet forte ipſa non ſit omnibus nota: quia non omnes nouerunt concluſiones ex principiis colligere. Secus in practicis, in quibus rectitudo concluſionum, quæ ex principiis colliguntur, non ſunt omnino immutabiles, nō eædem apud omnes, non æque omnibus notæ. propterea deſcendentem ad particularia iubet Plato quieſcere. Cuius ratio in promptu eſt, quoniam ratio ſpeculatiua circa neceſſaria uerſatur: quam impoſsibile eſt aliter ſe habere: & ideo infallibilis eſt concluſionum ueritas, ſicut & principiorum. At ratio practica circa particularia & contingentia uerſatur, quæ ſunt humanæ operationes. propter quod licet in communibus principiis ſit immutabilis neceſsitas, & eadem ſemper rectitudo, in particularibus tamen propter parti

culares aliquas circunſtantias poteſt defectus contingere, propter quem ſit a rectitudine declinandum. Quemadmodum apud omnes rectum eſt & iuſtum, ut ueritas ſeruetur, & ſecundum rationem agatur. Ex quo principio colligitur concluſio, quòd bona ſi de depoſita ſunt reddenda: quæ mutabilitatem recipit, ſi furioſus enſem repetat, quem ſanus depoſuerat. Hinc deducimus, quòd licet naturalis æquitas & iuſtitia dictet, quòd habens beneficium ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, non occupet plura beneficia ad plurium ſuſtentationem ordinata: quia abſurdum eſt, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia.l. Quiſquis C. de poſtul. & glo. in.d.c. Singula LXXXIX. di.nihilominus propter aliquas particulares circunſtantias ex parte beneficiorum, eccleſiarum, aut perſonarum, quarum regimen eccleſiæ utilitas, aut neceſsitas expoſcat, contingere poteſt bonum & expediens fore, unum plura obtinere beneficia, propter quod licitum reddatur & honeſtum, quod alio caſu, & ut in pluribus foret iniquum. maxime ſi id arbitretur is qui præeſt multitudini, & ad cuius id ſpectat officium: qualis eſt Rom. Pontifex. Proinde licet habere plura beneficia ſit de genere malorum, tamen ex iis malis eſt, quæ aliquo caſu poſſunt bona eſſe.

nec quando bonum redditur ex particulari circunſtantia, tollitur ad quem ordinata ſunt beneficia, ut diuerſi miniſtri diuerſis deſeruiant officiis. quoniam eo caſu, quo eſt bonum, poteſt ſuperioris auctoritate habens plura beneficia per alium deſeruire. quemadmodum Paulus per miniſtros ſuo fungẽs officio abſens procurationes ut debitas recipiebat: ad Philip. cap. IIII. Eo enim caſu quis eccleſiæ deſeruire cenſetur, qui per alium ſuo fungitur officio. c. Extirpandæ. §. Quia uero. de præben. c. Peruenit. de appel. Nec his repugnat, quòd habens plura beneficia cogatur pluribus dominis inſeruire: qui ſi contraria mandauerint, ambobus non poteſt obedire. quoniam talem ambiguitatem ſuſtulit ſuperioris cum eo diſpenſantis auctoritas: ut ipſe ſcilicet diſpenſatus eligat cui uoluerit obedire, cui beneficio deſeruire, & a quo uoluerit ordinari. Vel melius dici poteſt, quis maiore neceſsitate ducatur: quis prius mandauerit: cui prius fuerit aſtrictus, & quis eorum maior, ſecundum Inno. in. c Cum parati. de appel. & in c. Cum iamdudum. de præben. exemplum ponens in beneficiato in duabus eccleſiis: cuius unus ſuperior Epiſcopus præcipit, ut fiat ſacerdos: alter quòd in Diaconatu maneat: uel unus mandat proſequatur eccleſiæ negocia in cu-

ria Regis, alter in curia Papæ: uel unus uocat ad electionem faciendam, alter ne discedat a seruitio ecclesiæ: ex quo non potest duobus dominis seruire c.I.XXI.q.I.quibus casibus dixit, quòd in his perplexitatibus prius obediendum primo: quia secundus ea conditione censetur illum recepisse, ut illæsum maneat ius primi c. Tua. de iur. iur.c. Quia monasterium de relig. domi.

Nec sibi dispensati blandiantur propter superioris auctoritatem: quoniam etsi tuti sint quo ad militantem ecclesiam, ne scilicet desuper molestentur, & ne pœnas incidant iuris positiui: non tamen ipsi, nec dispensans, tanquam infidelis dispensator, tuti sunt in foro conscientiæ. Quod sane colligitur ex libro Bernardi secundo de consideratione ad Eugenium, cum dixit: Non sum tam rudis, ut ignorem positos uos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem: ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio: ubi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Huius ratio esse potest, quia licet in malis, quia prohibita, dispensatio nihil faciat, nisi quòd ipsam aufert prohibitionem, rem suæ relinquens naturæ: quæ cum indifferens sit, fieri

poterit ſine reprehenſione . at in prohibitis, quia mala , de quorum numero eſt(ut diximus) pluralitas beneficiorum , ſublata per diſpenſationem prohibitione , & ſuæ permiſſum naturæ, remanet malum: propterea nec etiam faciendum ; cum prohibitionis amotio non faciat , ut quod de ſe malum ſit , bonum reddatur : propterea iure improbanda uidetur Inno. opinio. in c. Cum ad monaſterium de ſta. reg. cum dixit , Papam in his, quæ iuris poſitiui ſunt, ſine cauſa diſpenſare poſſe, ponens exemplum de retentione duarum parochialium .

Plures tamen ſunt caſus, quibus iura permittunt quempiam obtinere plura beneficia , modo careant animarum cura . Poteſt enim quis de iure communi duo obtinere , quorum neutrum ad unius ſit ſuſtentationem ſufficiens.c. Vnio.x.q.III.c. Quia. de reli. domi. imo ex eo , quòd ſimplicia ſunt , poteſt inſimul retinere.c.Gratia.de reſcriptis lib.VI. Clem. Gratiæ.eo. ti. Poteſt unũ in titulum , aliud in commendam.c. Dudum.de elect.c. poſſeſsiones XVI.q.I. Poteſt , cum unũ ab alio pendet.c. Eam te.de ęta.& quali. ordi. Item propter clericorum raritatem.c. Clericus.XXI.q.I. Item cum eccleſia annexa eſt præbendæ , uel dignitati c.Extirpandæ . de præben.c. Super eo. eodem ti. li.VI.

De

De consuetudine etiam potest quis obtinere dignitatem, uel personatum cum Canonicatu in eadem ecclesia c. Consuetudinem. de consuet. li. VI. proinde ualet consuetudo aut statutum quòd nemo possit dignitatem consequi, nisi sit Canonicus, adeo quòd excipi potest contra impetrantem: Domi. post Io. an. in d.c. Super eo. Insuper ratione consuetudinis, quam scit & tolerat Papa; & ideo eam approbare uidetur; derogatum est c. Sanctorum LXX. di. quòd quis plures præbendas & plura beneficia sine cura obtinere posset, secundum glo. Bartho. brixien. In d.c. Sanctorum. & Ber. in c. Dudum. de elect. cum tamen uni dantur plura beneficia, ubi quàm multi uix unum obtinere possunt, non dicitur, qui dederit habere personarum acceptionem, si id fecerit nobilitatis, doctrinæ, aut iusta alia de causa, quam ecclesiæ subsequatur utilitas. Quoniam non est acceptio personarum, si non seruentur æqualia in personis inæqualibus: & eadem ratione non læditur distributiua iustitia.

AN PAPA LABEM SIMONIAE INCVRRERE POSSIT.



VM in his, quæ ad salutem animarum pertinent, tutior semper uia amplectenda sit, ut abstineamus etiam ab his, de quibus incerti sumus, quòd peccatum sit, aut reprehensibile. c. Iuuenis. de sponsa. c. Ad audientiam. de homi. c. Sicut XIIII. di. glo. In c. I. De scruti. dissentiantq; inter se tam sacræ theologiæ professores, quàm Canonum interpretes, an pro beneficiis carentibus cura animarum liceat aliquod temporale recipere, cum de curatis sint concordes; tutiorem sententiam amplectendam duximus, non licere. Nec placet distinctio glosatoris in c. Ex parte de offi. de leg. aliqua esse prohibita, quia simoniaca, et alia simoniaca, quia prohibita: quam plures plus nimio fauentes, ne dicamus adulantes Rom. Pontifici, sequuntur. idq; pluribus rationibus.

Primo, in ueteri lege prohibitum fuit, pecunia fieri altaris ministros: III. reg. c. XIII. qui deputabantur ad Dei cultum in ceremoniis,

nec aliquod ſacrum habebant . erit itaque mandato Dei prohibitum, aſſequi pecunia aliquod eccleſiaſticum beneficium, etiam ſi nullum ſacrum ordinem annexum habuerit. cum & hi ad aliquod altaris, & diuini cultus miniſterium deputentur.

Secundo, idem deducitur ex eo quod habetur Mat. XXI. & Io. II. quòd dominus eiecit de templo uendentes columbas, & menſas numulariorum euertit, iuncto c. In multis I. q. III. ubi habetur, quòd ſicut per columbarum uenditores illi denotantur, qui ſacram manus impoſitionem uendere conantur, ſic per numularios eccleſiaſtici beneficii uenditores deſignantur. Vetita igitur beneficiorum uenditio & emptio, quia a Chriſto, non ab homine, improbatæ.

Tertio, Mat. X. prohibentur uendi omnes actus ſpirituales, ad quorum aliquos deputantur & Canonici, & ſimplicia obtinentes beneficia: omnibusq; mandatum, Gratis accepiſtis, gratis date. Commutatio enim ſpiritualis rei cum temporali, ſimonia eſt.

Quarto, id decreuit Chalcedoneñ. concilium: in cuius Canone II habetur, conſimili pœna damnandos eos: qui interuentu pecuniæ eccleſiaſticum beneficium acquirunt, & eos qui ſacram manus impoſitionem, per quam ſpiritus ſanctus confertur, mercari digno-

ſcuntur. utroſque enim auctoritate inexpugnabili illos a beneficio, iſtos a ſacro ordine iubet expelli.

Quinto, Vrbanus Papa reſcribens Præpoſito ſancti Vincentii, & habetur in c. Saluator I. q. III. inquit: Simon magus, qui ad fidem ficte acceſsit, non ipſum ſpiritum ſanctum, quo ipſe erat indignus (quoniam ut ſcriptum eſt, ſpiritus ſanctus effugit fictum) ſed donum eius emere uoluit, ut ex uenditione ſignorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. nec Apoſtolus emptionem ſpiritus ſancti, quam bene fieri non poſſe nouerat, ſed ambitionem quæſtus talis, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus, in eodem Simone exhorruit, & eum maledictionis iaculo percuſsit. & cum Simon pecuniam obtulerit Petro, qui ſummus erat Pontifex; non pro ſpiritu, ſed pro ſignis, quæ faciebant recipientes ſpiritum ſanctum; ſubſequitur & cum Papa committi ſimoniam, & pro temporalibus, nedum pro receptione ſpiritus ſancti.

Sexto, cum ſimonia ſit uenditio & emptio rei ſpiritualis pro temporali, & iuris diſpoſitio efficere non poſsit, ut quod eſt temporale efficiatur ſpirituale, cum non poſsit immutare naturam rerum: ſubſequitur iuris diſpoſitione fieri non poſſe, aliquod fore ſimonia-

cum, quod aliàs non foret, nisi adesset prohibitio : ex consequenti nulla simoniaca, quia prohibita : sed quæcunque simoniaca sunt, ideo prohibita, quia simoniaca.

Septimo, sicut clericus recipiens pecunias a uicariis suis, ut eos permittat celebrare in uicariis suis, dicitur uendere executionem ordinis, & est simoniacus, secundum glo. in c. Licet. de pœni. ita uendens beneficia, cum accessorie uendat executionem ordinis, erit simoniacus. quod etiam in canonicatibus, & simplicibus beneficiis locum obtinet : cum is qui ea consequitur, qui aliàs absque titulo ad sacros ordines promoueri non potest, promoueretur, si illos suscipere uellet : & etiam, quia huiusmodi beneficia instituta sunt ad aliquod spirituale obsequium.

Octauo, cum de iure diuino sit, quòd qui altario seruit, de altario uiuere debeat: primæ Cor. cap. IX. contra ius diuinum esset, si quod pro officio habere debet, pecunia consequeretur : etiam si solum inseruiat altari in recitandis horis canonicis, & orationibus. Cum enim Apostolus non distinxerit, nec nos distinguere debemus.

Nono, si Papa, aut quiuis alius Prælatus sic diceret, Do tibi gratis canonicatum, sed pro præbenda dabis decem ; iniuste ageret : quia uenderet semel datum & debitum : &

ſimoniam committeret. quia uenderet non ſolum temporale, ſed etiam ſpirituale, ius ſcilicet percipiendi. non itaque ſimonia, quia agat quod inhibitum eſt, ſed potius inhibitum, quia res iniuſta.

Decimo, contra eos, qui audent dicere, ſimoniam committi in ſuſceptione ſacrorum ordinum, non pro aſſequendo beneficium ecclesiaſticum, maxime a Papa; proponitur hæc ratio. Quando quis ordinatur, recipit poteſtatem ligandi & ſoluendi tantum in habitu, non in actu. XVIII. q. I. c. Ecce ſufficienter. & c. ſeq. Hinc eſt, quòd nemo ſoluere poteſt, aut ligare, quantũcunq; ſit ſacerdos: ſed tunc demum, cum ſibi datur beneficium curatum. Tunc enim ſibi confertur ordinis executio: quæ executio mere ſpiritualis eſt, & uetita de iure diuino comparari pretio: pro quo eſt glo. in c. Ex diligenti. de ſimo. Clem. I. de priuil. fuit ratio Abb. in c. Extirpandæ. §. Si uero. de præben.

Magno itaque applauſu recipienda eſt ſententia Petri de Anca. in c. I. de conſti. in II. oppoſitione, quòd facere beneficia eccleſiaſtica uenalia, eſt denigrare uniuerſalem ſtatum eccleſiæ. allegat l. Si quemquàm C. de epi. & cleri. cum dicitur: Profecto enim quis locus tutus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi ueneranda dei templa pecuniis ex

pugnentur? Quòd si denigratur status uniuersalis ecclesiæ, nec Rom. Pontifici erit permissa per ea, quæ habentur in c. Sunt quidam XXV. q. I.

Nec sibi blandiantur simoniacæ labis fautores, quòd spirituale gratis, pro temporali pretium recipiatur. quoniam hæc adeo connexa sunt, ut uendito uno aliud uenditum censeatur. c. Siquis obiecerit I. q. III. imo etiam quando per pecuniam confertur beneficium iam ordinato ad sacros ordines, aut ex dispensatione habenti aliud beneficium, censetur uendita executio ordinis in loco, in quo prius non habebat huiusmodi potestatem.

Nec præmissis obstat, quòd ex statuto ecclesiæ sint tituli dignitatum & beneficiorum. non enim erant tempore Apostolorum. igitur ab eo uendi possunt, in cuius potestate sunt omnia iura positiua. Quoniam cum spiritualium uenditio iure diuino prohibita sit, cuicunque spirituale inseparabiliter adhærebit, incapax erit uenditionis; imo utrunque: licet quòd hoc spirituale temporali adhæreat, sit iuris positiui. Sicut nec sequitur: hæc bona alienari poterant, antequam essent ecclesiæ donata: ergo & ex post alienari poterunt. Et siquis urgeat, Nonne Papa ex plenitudine potestatis ex causa pote

rit rem ecclesiæ dicatam ab ecclesia separare & uendere? igitur poterit beneficia pretio conferre, habita ratione ad temporalia annexa. Respondetur, hæc inter se longe distare. quoniam primo casu cum bona iam ab ecclesia separata uendit, aut uendendi facultatem concedit; ementi nullum onus spirituale annexum incumbit, quod uēdi censeri possit. secus secundo casu, quo, dato beneficio, datum est ius spirituale, siue sit animarum cura, siue quoduis aliud spirituale obsequium, quod etiam uenditione uenit. d. c. Siquis obiecerit.

Secundo, non obstat quòd sicut ex uenditione rei secularis transfertur iuspatronatus, quod est spirituale. c. Cum secundum. de iurepatro. Sic in quocunq; beneficio uidetur cum temporalitate per connexionem uendi posse beneficium. Quoniam respondetur, quòd uendita uilla, in qua est iuspatronatus, licet iuspatronatus transeat in uenditione, non tamen est simonia: quia principaliter uenditur temporale, in cuius consequentiam uenit iuspatronatus: non quòd spirituale uendatur. Secus in ecclesiastico beneficio: cum ipsum quod principaliter confertur: temporale uero per quandam consequentiam. Ex quo infert Abb. in c. Querelam. de iurepatro. quòd si uendatur uilla, & ius patrona-

tus, non ualet contractus: quia eo casu ius patronatus ut principale uenditur, quod fieri non potest. Secus si uilla uendatur cum iure patronatus, quia tunc uenit consecutiue. & hoc modo intelligendum quod dixit Io. an. in c. I. de iure patro. lib. VI.

Dici etiam potest cum beato Thoma, secunda secundæ. q. centesima, ar. IIII. aliquid dici posse annexum spiritualibus dupliciter. uno modo, sicut ex spiritualibus descendens: sicut habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale. & quia huiusmodi nullo modo esse possunt sine temporalibus, nullo modo uendi possunt. & allegat d. c. Siquis obiecerit. quædam autem sunt annexa spiritualibus, inquantum ad spiritualia ordinantur. sicut iuspatronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia: & uasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum usum. unde huiusmodi non præsupponunt spiritualia, sed potius ea temporis ordine præcedunt. & hæc aliquo modo uendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa.

Non obstat tertio, quòd sicut Imperator in temporalibus dominus, potest uendere dignitates seculares: ita uideatur, quòd

Papa dominus ſpiritualium, uendere poſsit ſpiritualia; & ſicut l. Iulia de ambitu non habet locum in curia Imperatoris l. I. et ibi not. Doct. ff. ad l. Iuliam de ambi. Sic nec in curia Roma. ſimonia, ut ibi not. Bar. Quoniam reſpondetur quòd longe diſtant ſpiritualia à temporalibus. quoniam dignitates, ſeu officia ſecularia, ordinata ſunt ad gubernationem ſeu diſpoſitionem eorum, quorum naturæ non repugnat quòd uendantur, & ſub ſunt ſoli diſpoſitioni principis. Secus in ſpiritualibus, quæ in nullius ſunt dominio, nec æſtimationem recipiunt.

Non obſtat quarto, quòd licet Iacob non commiſerit ſimoniam emendo ius primogenituræ, quod ſibi ex conceſsione diuina debebatur: tamen Eſau commiſit, qui hoc alio modo dare noluit. c. quàm periculoſum. VII. q. I. Sic omnia, quæ ſunt eccleſiarum, cum credita ſint Papæ, uidetur non committere ſimoniam recipiendo pro ſpiritualibus temporalia ab eccleſiaſticis uiris, qui aliàs daturi non forent. Quoniam reſpondetur non eſſe ſimile, ex quo ius primogenituræ datum fuerat a Domino ipſi Iacob: & ideo redemptio potius fuit uexationis: quæ licita eſt aliàs habenti titulum. Sed bona eccleſiarum non ſunt Papæ, niſi quo ad curam & diſpenſationem ad neceſsitatem eccleſia-

rum, deseruientium eis, & pauperum. Ideo ea uendere non potest.

Siquis autem hæsitaret: sicut nemini licet dare spirituale debitori nolenti soluere, ut reciperet debitum, & dando committeret simoniam, ex sententia Sancti Thomæ, in IIII. di. XXVI. & not. in c. Qui studet. I. q. I. & in c. Dilectus. de simo. Sic non uidetur licuisse Iacob, dare temporale pro spirituali, licet sibi debito. Respondetur, non esse simile. nec sequitur: non licet dare spirituale, ut quis recuperet temporale: ergo non licet dare temporale, ut recuperet spirituale, quod suum est. Et ratio diuersitatis est, quia is recipit quod suum est, & dat quod suum est: ille dat quod suum non est, & recipit quod suum non erat.

Non obstat quinto, quòd si simonia in beneficio esset pari modo de iure prohibita, sicut in ordine, pari modo puniretur: quod falsum est, ut not. in c. Presbyter. I. q. I. & in § . uerum. & in § . ad hæc. XXII. dist. & non fieret distinctio, ut cum simonia eo in ordine non dispensetur, ut not. in c. Qui studet & in § . in summa. I. q. I. & probatur in c. Quicunque, & in c. Eos, in principio. & in c. In presentium I. q. V. Quoniam respondetur, non recte colligi: non pari modo plectuntur: ergo non sunt utraq;

prohibita iure diuino: non enim pari modo puniuntur quicunque transgressores iuris diuini: sicut nec æqualiter peccant.

Non obstat sexto, quòd ubicunque accessorium est talis naturæ, quòd per se habet subsistentiam sine eo quod sibi principale censetur, tunc accessorium non sequitur naturam sui principalis. l.fi.§.Lucius. ff. de condi. inde not. Ancha. per illum tex. in regula Accessorium.de reg.iur. in VI. sed beneficia subsistere possunt sine hoc, quòd transferant aliquod ius spiritualis ordinis, & de se considerata nihil potestatis clauium habent, sed meræ administrationes sunt, nec sequuntur naturam sui principalis, scilicet ordinis ecclesiastici. pro quo etiam uidetur tex. & ibi not. Abb. in c. Tuas. el. 3. de simo. ubi simonia in præambulis ad ordines, & sic ad spiritualia non iudicatur ad paria cum simonia in ordinibus; & facilius dispensatur. Quoniam respondetur, assumptum non uerum, beneficia ecclesiastica pos se subsistere sine hoc quòd aliquid non transferant spiritualis muneris, licet non semper spirituale sacri ordinis. Quoniam nullum est beneficium quantuncunque simplex, ratione cuius non debeatur aliquod spirituale obsequium domino: quod etsi nihil participet de potestate clauium, non pro

pterea fit, quòd non committatur ſimonia, quæ ſemper committitur, cum ſpirituale pro temporali datur aut recipitur. nec quòd una facilius, alia difficilius diſpenſetur, efficit quòd non ſit ſimonia prohibita, quia ſimonia & de mandato dei, aut quòd ſit aliquod ſimonia ſolo iure poſitiuo prohibita.

Non obſtat ſeptimo. c. Conſtitutus de re li. domi. ubi Epiſcopus conceſsit illi Abbati, & confirmauit ſedes Apoſtolica, omne ius quod habebat tam in ipſo monaſterio, quàm in eccleſiis pertinentibus ad monaſterium ſituatis in dioceſi Epiſcopi pro certa annua penſione: nec committitur ſimonia. Quoniam reſpondetur, quòd conceſsio Epiſcopi fuit gratuita: & monachi etiam gratuito, non ex pacto præcedenti penſionem dederant in quandam recognitionem: & penſio octo denariorum erat tam modica, quòd non haberet mouere animum nec dantis, nec recipientis ar. c. Etſi quæſtiones. de ſimo. & c. Iudices. 1. q. 1. uel melius dicendũ, ex ſententia gl. in d. c. Conſtitutus. in uer. recompenſatione, quòd eo caſu nec in conſimilibus exemptionibus committitur ſimonia, quia plus commodi temporalis percipiebat Epiſcopus, quàm erant illi octo denarii, & illos recipiebat non in recompenſationem, ſed potius in ſignum recognitionis

ut in c. I I. de censi.

Octauo, non obstat, quòd nemo habet ius in bonis ecclesiasticis, nisi per iurisdictionem Papæ. igitur potest Papa illa etiam precio concedere. Quoniam respondetur, quòd non recipiunt à Papa, sicut à domino, sed sicut a dispensatore, cum non habeat dominium, sed patrocinium & defensionem: sicut omnia dicuntur Imperatoris, ad defensionem & tuitionem.

Nono non obstat, quòd sicut si Papa aut Episcopus antequam alicui beneficium aut præbendam conferat, ordinauit aliquid subtrahere de fructibus ex aliqua iusta causa, non est simonia, ex sententia sancti Thomæ secunda secundæ q. centesima. arti. I I I I. not. Abb. & alii per illũ tex. in c.I.ut ecclesiast.bene. & habetur in c. Si propter tua debita.de rescrip. in VI. ita uideatur posse recipere ab eo, cui confertur beneficium. Quia respondetur, non esse simile. quoniam non recipit ab eo cui dat beneficium, nec ut magis huic, quàm illi conferat. Quapropter dixit idem sanctus Thomas, loco citato, quòd si ab eo, cui confert beneficium, peteret aliquid sibi dare de fructibus, aut aliquod munus reciperet, non careret scrupulo simoniæ. Hinc est quòd in receptione mediorum fructuum, quas annatas uocant, non committitur simonia, ut

infra declarabitur.

Quamuis autem tam in collatione ordinum, quàm beneficiorum, siue curata, siue simplicia fuerint, iure diuino committatur simonia, siquid etiam a sponte dante recipiatur: non tamen Papa incurrit pœnas a iure positiuo inflictas: quia est supra ius, & illius pœnis non astringitur. Cardinalis tamen in c.I. de simo.asseruit, quòd Papa ex iusta causa posit quandoque in collatione beneficiorum aliquod recipere, licet non passim, ne scandalizet ecclesiam. ad quod allegat glo. in c. fi. q. I I I. quia etiam in pro hibitionibus iure diuino Papa ex causa illas relaxare potest, ut plenius aliàs declarabimus. Sed hæc assertio reiicienda est, & pror sus abominanda.

Quòd etsi Papa non incurrat pœnas iuris positiui, incurrit tamen is qui recipit beneficium, nisi expresim secum dispensetur, secundum Abb.in d.c. Extirpandæ §.Si uero. nec dissonum est, unum correlatiuorum incurrere pœnam, & non aliud. sicut Esau commisit simoniam, non Iacob: & Giezi, non Naaman Syrus: & sicut Episcopus non est excommunicatus a sua sententia, siue Canone, aut statuto, ut late disseruit Io. an. in regula, Cui licet. de reg. iur. lib. v I. & hæc uidetur æquior opinio: licet Cardina. Alexan.

xand. in c. Latorem 1. q. 1. in hoc improbauerit Abbatem ex eo quòd Papa faciendo ex certa ſcientia actum illicitum ſiue prohibitum, ſuper quo poteſt diſpenſare cum inhabili, uidetur tacite diſpenſare ar. l. Idem Vlpianus. ff. de excuſ. tut. l. Quidam conſulebat ff. de re iudi. Inno. & alii in c. Diuerſis fallaciis. de cleri. coniug. & quia per actum contrarium uidetur ſuſpenſa iuriſdictio. ſed hæc ad materiam diſpenſationum pertinent: de qua aliàs erit diſſerendum.

DE ANNATARVM INSTITVTIONE, ET EARVM DEFENSIONE.



NNATARVM institutionem, ſi ad ius diuinum referre nolumus, ut ſint decimæ decimarum ſummo ſacerdoti debitæ, eam tamen non adeo nouam aſſerimus, ut Io. XXII. quod plerique faciunt, tribuamus: quandoquidem illarum inſtitutionem Viennen̄. concilium receperit, quod habitum fuit anno MCCCXI. & Oſtien. ac Io.an. qui Ioannis XXII tempora præceſſere, de his mentionem fecerint. cuius Io.an. uerba referenda duximus, cum dixit in c. Inter cætera. de off.ord. in glo.ult. in fi. Dicit hic Oſtien. quòd Rom. eccleſiam in annatis exigendis, ubi alioqui nullum ius haberet, excuſaret neceſsitas: quia nec de ſuo poſſet omnibus prouidere. & ſubiicit: eſt id de antiquiſsima conſuetudine iam obtentum, in quo Epiſcopi particulares putant ſe poſſe imitari Rom. eccleſiam, cum non poſsint. & infra: Pluries clamaui in tantum, quòd de hoc fuit ſermo in concilio Viennen̄. quòd optarem, quòd curia re-

peteret & caperet uigesimam reddituum cle ricorum totius orbis ad sustentationem Papæ, & Cardinalium, & nihil exigi & recipi pro seruitiis in promotione prælatorũ, ex ceptis salariis laborantium, puta scriptorum, & similium. & tunc prouideret legatis, & nunciis, quos mittit, de prædicta quota: & abstineret ab exactione fructuũ primi anni.

Non defuere qui assererent annatarum solutionem ortum habuisse ex eo, quod refert Damasus Papa in chronica summorum Pontificum, quòd sicut Papa in sua ordinatione contribuebat Imperatori, nec id uitio dabatur: & forte id est, de quo mentio fit in c. Agatho. LXIII. di. & in c. Tributum XXIII. q. VIII. sic & suscipientes modo ordinationes a Papa, aliquod ei persoluunt, tanquam in alterius ius successerit.

Arbitrantur alii, sponte quidem ab initio promotos annatas soluisse: idq; in scriptis redactum obligationem induxisse: sicut ad oblationes modo tenentur fideles; quæ ab initio ex arbitrio & sponte fiebant. c. Omnis Christianus. de conse. di. I. c. Statuimus. XV. q. I.

Nec defuere qui dixerint, hunc etiam fuisse antiquum morem gentilium sacerdotum. Ioannes enim grammaticus (ut refert Ferdinandus Cordubeñ. in suo tractatu de

annatis) in illud Aristot. primo metaphy. sacerdotum genus apud Aegyptios uacare permissum est; inquit: Aegyptii primi, de inde omnium gentium sacerdotes, fuerunt locupletes, præsertim maximi sacerdotes: nam inferiores sacerdotes, in ingressu sacerdotii mediã partem redditũum summo sacer doti ministrabant. sed quãcumq; habuerint originem, satis constat iam diu omnium na tionum consensu receptas, usu comprobatas, per Constantieñ. concilium post Vien neñ. admissas. quas etsi inhibuerit Basilieñ. concilium, irriti tamen & inanes fuerunt eo rum patrum conatus: qui odio magis in Eu genium IIII. Rom. Pontificem, quàm æquitatis & iustitiæ zelo de annatis & aliis pluribus ausi fuere noua edere decreta, quæ irrita fuere, nec usu recepta.

Potest autem annatarum institutio pluribus rationibus defendi, & in primis, quia sicut ex Philosophorũ & Diui Thomæ sen tentia, secunda secundæ q. LXXXVIII. ar. I. principibus & militibus ex publico uitæ necessaria ministrari debent: ita & sacerdotibus, qui diuino cultui ad communem populi salutem inseruiunt. Propterea super Iosue cap. XXI. dixit, apud omnes gentes obseruatum fuisse, quòd qui diuino cultui intendunt, a populo sustententur, aut ab

his, qui curam gerunt uniuersitatis. propter quod Aegyptios sacerdotes famis tempore nulla, ut alii, necessitate adductos possessiones uendere. quòd alimenta eis de publicis horreis præstarentur: Gene. XLII. Quanto magis igitur Rom. Pontifici, qui omnium Christianorum curam gerit & solicitudinem, debentur a suis sacerdotibus uitæ subsidia? cuius occasione inductæ sunt annatæ, & aliæ pleræque contributiones.

Præterea potest Rom. Pontifex decimas, fructuum etiam, quæ aliis debentur, laicis concedere c. A nobis. de deci. c. Adrianus. LXIII. di. c. In synodo XVI. q. I. sicut regibus Hispaniarum, & aliis plerisque concessit. Potest statuto, consuetudine, aut priuilegio induci, ut primi anni fructus, & quandoque duorum aut trium, fabricæ, Episcopo, aut ad alium quempiam usum reseruentur, idq; præcipue Rom. Pontificis auctoritate. c. Si propter tua debita. de rescrip. lib. VI. & in extrauag. Io. XXII. quæ incipit, Suscepti. & non poterunt medii fructus primi anni summo sacerdoti reseruari? Potest pater corripere filium sibi alimenta negantem, & ad ea præstanda compellere. l. qui filios. C. quæ res pigno. oblig. pos. & l. I. & II. C. de patri. qui fil. distra. ipsos etiam uendendo. & non poterit spiritualis

pater, cui non minus obſequii debemus, quàm carnali, quotam partem fructuum ecclesiaſticorum pro ſuis neceſsitatibus reſeruare?

Quòd ſiquis diceret: non tenentur filii patribus theſaurizare, ſed pater filiis, ſecundæ Corin.c. XII. nec etiam neceſsitatis tempore. habet eccleſia Romana propriam dioceſim, cuius ſacerdotes ſuo tenentur Epiſcopo ſubuenire: habet eccleſia amplum temporale dominium: huius ſubditi ſuo ſubueniant domino: non grauentur alii, qui ſuis dominis & ſuis Epiſcopis prouidere tenentur: ne multiplici prægrauentur onere. Reſpondebimus, non teneri filios patribus theſaurizare: teneri tamen patri ſubuenire, cum eget. ſic Rom. Pontifici omnium parenti & paſtori: pro qua ſubuentione adinuentæ ſunt annatæ.

Quòd uero Rom. Pontifex propriam habet dioceſim: habet quidem propriam, quæ ſcilicet alterius non ſit, ſed non propriam, quæ Romanis finibus coarctetur. Cum enim ſit uniuerſalis eccleſiæ Epiſcopus, uniuerſus orbis ſua eſt dioceſis c. Per principalem c. Cuncta per mundum. IX. q. III. nec minore onere grauantur eccleſiæ ſubditi, quòd aliis teneantur ſubuenire principibus. quandoquidem & præter annatas, quæ

cum aliis communes ſunt, ad ea tenentur Pontifici uectigalia, quæ & alii ſuis principibus contribuunt.

Obiiciunt alii, non ſoluendos medios fructus, quòd Nume.XVIII.habeatur: Nihil aliud poſsideant Aaron, & filii eius, decimarum oblatione contenti: quas in uſus eorum & neceſſaria præparaui. & infra: Locutus eſt dominus ad Moyſem: Præcipe leuitis, atque denuncia, Cum acceperitis a filiis Iſrael decimas, quas dedi uobis, primitias earum offerte domino, hoc eſt decimam partem decimæ: ut reputetur uobis in oblatione primitiarum tam de areis, quàm de torcularibus, & de uniuerſis: quorum accipitis primitias offerte domino, & date ea Aaron ſacerdoti; quaſi ſummo ſacerdoti debeantur decimæ decimarum, non autem medii fructus uacantium beneficiorum. Quorum obiecta refellemus ex eo, quôd mediorum fructuum ſolutio loco decimæ decimarum aliqua ex parte ſurrogatur. & ſi ſummo ſacerdoti decimæ decimarum ſingulis annis debebãtur, multo magis annorum quinque debebitur: nec tam grauis eſſe debet paucorum annorum anticipatio, quàm grata plurium remiſsio.

Maius nobis negocium eſt cum his, qui obſtinate aſſerunt, ſimoniacam ſapere pra-

uitatem mediorum fructuum exactionem; quòd non nisi his datis dentur literæ collationis beneficiorum, sine quibus nemo possessionem assequi potest: cum qui pretio dat id, sine quo alterum non prouenit, neutrum inuenditum relinquat. c. Siquis obiecerit. 1. q. 111. Sed falluntur hi, suumq; agnoscent errorem, si formulam constitutionis, qua mediorum fructuum solutio debetur, inspicerent. Constat enim non prælatum, aut ecclesiæ rectorem, sed ecclesiam ipsam, antequam ei aliquis præficiatur, ad solutionem obligari, cum cauetur, quòd de uacantibus ecclesiis medii fructus cameræ apostolicæ debeantur: quo constat ex ipso uacationis die ius quæsitum apostolicæ cameræ. propterea qui ecclesiæ præficitur, medios soluit fructus, ut æs alienum prius ab ecclesia debitum, ad quem tenetur nouus rector: quemadmodum teneretur ad debita prædecessoris, si uersa fuissent in ecclesiæ utilitatem.

Cessat etiam omnis simoniæ suspicio, quòd ex mediorũ fructuum solutione non uni magis, quàm alteri confertur beneficium: cum quicunque præficiatur, ad eandem solutionem tenentur.

Item in simoniaca prauitate non sola pecuniæ datio, aut muneris, imputanda sunt

pro crimine, ſed quo animo, qua occaſione detur: & qua mente recipiatur. c. Etſi quæſtiones. de ſimon. & propterea ſimoniam non committunt, qui, ut horis canonicis interſint, quotidianas recipiunt diſtributiones, modo prima eorum intentio ſit eccleſiæ in diuinis deſeruire: conſecutiue autem pecuniam pro uitæ ſuſtentatione recipere. Idem de ſacerdote miſſas celebrante, aut pauperibus Deum orantibus pro eo, qui eleemoſynas erogauerit: quibus non imputatur ſimonia, quòd pecuniam conſecutiue pro ſtipendio, aut uitæ ſuſtentatione recipiant.

Præterea cum eccleſia cœpit oblata immobilia apud ſe retinere, illorum redditibus duntaxat diſtributis, nulli certi redditus debebantur, ſed pro neceſsitate & diſpenſatoris arbitrio. nulla igitur uidetur fieri iniuria, cum iure poſitiuo diſtributio certa ſit inducta, ſi is qui ſuprema fungitur auctoritate, & cui diſpenſatio eſt commiſſa, id agit quod prius licebat, minus ſcilicet pro primo anno dando, et aliquid pro ſua ſuſtentatione retinendo. nec propterea dici poteſt gratis non dare, quod minus det, cum gratuita uoluntate det: etſi aliquid retineat quod dare potuiſſet. nec minus uidetur ſummo Pontifici licere pro ſui neceſsitate, quod

pro aliena licet: et ſicut omni caret reprehenſione, ſi Pontifex, dando uni beneficium, partem reddituum clerico indigenti, loco annuæ penſionis, reſeruet, ſic licebit modeſtius agendo medietatem fructuum primi anni pro ſe retinere. Maxime quòd penſio ſingulis annis, annata autem primo duntaxat, quo quis recipit beneficium, debeatur. & quia onus perpetuum non eſt, non dicitur beneficium cum diminutione conferri contra diſpoſitionem .c. 1. ut eccle. bene. ſine dimi. conferantur,

Præterea cum alligari non debeat os boui trituranti; & qui altario ſeruit, de altario uiuere debeat, & proinde poſsit bonus diſpenſator, pro ſua neceſsitate & ſuſtentatione, ex his, quæ ſuæ credita ſunt diſpenſationi, aliquid retinere, ſi ea fiat intentione, non ut pretium gratiæ recipiat, ſed ſubſidium uitæ: nihil eſt quod dignum ſit reprehenſione; cum de genere malorum non ſit retinere, quod commode poteſt, & ſine ſcandalo, pro uitæ ſubſidio, & incumbenti bus oneribus. Nec ſimile eſt quod dicunt plerique, non fœnerandum, ut detur eleemoſyna: & non ſufficere, aliquid bona intentione fieri, ſi quod fit, malum ſit. Quoniam fœnerari de ſe malum eſt, ſubſidium uitæ malum non ſit.

Nec obstat, quòd ex sententia sancti Thomæ in IIII. sent. di. XXVI. habetur, & not. in c. Qui studet I. q. I. & in c. Dilectus. de simo. non licere sine simoniæ labe aliquid spirituale debitori dare, ut quod suum est quis consequatur. Quoniam aliud est a debitore quod suum est recipere, data re spirituali: aliud, debitum retinere ex temporali dando debitori, etsi muneri spirituali annexum sit: non minus quàm si conductor reddituum beneficii pro compensatione eius, quod sibi a locatore debetur, partem retineat locatorum fructuum, qui etsi annexi sint beneficio, nulla tamen committitur simonia.

DE RESERVATIONIBVS BENEFICIORVM A ROM. PONTIFICE.



ESERVATIONES beneficiorum ecclesiasticorum, quæ fiunt a Romano Pontifice, iam annis CCCL receptæ sunt ab ecclesia, & approbatæ. Clemente enim III Pōtifice, qui ad munus Pontificium assumptus fuit anno MCLXXXVIII. edita fuit constitutio, quæ habetur in c. II. de præben. lib. VI. per quam Rom. Pontifici reseruatur dispositio uacantium beneficiorum in Romana curia. & in c. Cum dilectus, de iure patro. fit mentio reseruationum etiam per legatos Apostolicæ sedis factarum, quæ fuit constitutio Innocentii III, qui erat Pontifex, anno MCXCVIII. & eiusdem fuit decretalis, Proposuit. de concess. præben. ex qua constat, eo tempore concessa mandata de prouidendo, de quibus etiam per Bonifacium VIII. in c. Mandato. de præben. lib. VI. ut prætereamus alias constitutiones eiusdem Bonifacii in c. Si eo tempore. de elect. in c. Præsenti. de offi. dele. lib. VI. & extrauagan. Ad regimen. & forte

etiam uetustiorem habuere originem, & usum. Legimus enim in c. Porro LXIII dist. Nicolaum primum reseruasse Treuereñ. & Colonieñ. ecclesias, cum mandauit nullum eligi, antequam relatio fieret Apostolatui suo. Idem uidetur factum de Salonitana ecclesia a Gregorio, ut colligitur ex c. Salonitanæ. ea. dist.

Comprobantur reseruationes ex eo, quòd Imperator habet priuilegium ab Apostolica sede, quòd in qualibet Germaniæ ecclesia, eius intuitu, unus recipiatur. Quod Specu. asserit se uidisse bullatum in III. parte tit. de præben. in fi. Quæ gratiæ primariæ preces nuncupantur. & nos legimus literas primariarum precum Rodulphi Imperatoris, qui electus fuit anno MCCLXXIII, huiusmodi tenoris: Rodulphus, Dei gratia Rex, & semper Augustus, honorabili in Christo deuoto N. Abbati gratiam, & omne bonum. Cum & antiqua & approbata, ac a Diuis Imperatorum & Regum inclitæ recordationis nostris antecessoribus usque ad nos producta consuetudine quælibet ecclesia in nostro Rom. Imperio constituta, ad quam beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione beneficii preces nostras primarias admittere teneatur; deuotionem tuam rogamus, quatenus N. clerico de be-

neficio ecclesiastico, quod ad tuam collationem spectat, ob reuerentiam sacri Imperii et nostram, si quod uacat ad pręsens, uel quàm primum uacauerit, dilecto nostro N. studeas liberaliter prouidere, taliter faciẽs, quòd deuotionem tuam nostra serenitas debeat merito commendare.

Quòd si Imperatores, si legati de latere ex concessione Ro. Pontificis possunt literas dare ad uacatura; & contra, eas ordinariorum collationes irritas facere: quantò magis Rom. Pontifex poterit id agere, quod aliis faciendi tribuit facultatem?

Et quòd improbandæ non sint reseruationes apostolicæ, deducitur ex eo quòd Rom. Pontifex uocatus est in plenitudinem potestatis, alii uero in partem solicitudinis. c. Ad honorem. de aucto. & usu pallii. c. De creto II. q. VI. c. Multum III. q. VI. & ex eo quòd Rom. Pontifex plenam habet potestatem in dandis beneficiorum titulis, etiam antequam uacent. c. II. de preben. li. VI. Clem. I. in fi. ut lit. penden. glo. III. in c. Si gratiose de rescript. libro VI. glos. in c. Pastoralis V. q. III.

Propterea miramur Basilieñ. concilii patres admisisse reseruationes in corpore iuris clausas, necnon locum esse præuentioni, & tamen ausos fuisse abolere quantum in eis

fuit, reſeruationes alias quaſcunque ſiue generales ſiue ſpeciales etiam extrauagantium & regularum cancelariæ, quaſi illæ non ſint conſtitutiones Apoſtolicæ, nec ius faciant, uoluerintque ipſi inferiores auctoritatem ſuperioris ſui certis finibus cohercere.

Accedit ad comprobationem reſeruationum quod dixit Io.an.ex mente Inno. in c. Ex eo. de pœnit. dum inquit, quòd ideo potuit Rom. Pontifex coarctare poteſtatem inferiorum in dandis indulgentiis, prout fecit in dicta decretali, quia omnes minores prælati poteſtatem habent ab eo, ipſe autem a Deo ſolo. c. Quãuis XXI.di.c.I. XXII.di. Item hoc potuiſſe ratione principatus & iuriſdictionis quam habet ſuper omnes c. in nouo XXI. diſt. ſimili igitur modo potuit adimere inferioribus auctoritatem dandi beneficia antequam uacent c. II.de conceſ.præ ben.& ſibi ipſi reſeruare hanc auctoritatem, priuſquam uacent c. II. de preben. li.VI.

Plures autem cauſas propter quas Põtifices moti ſint ad faciendas huiuſmodi reſeruationes, poſuit Gloſator extrauag. Ad regimen; qui dicit ſe credere ea ratione adinuentas reſeruationes, quòd cum ſolicitudo paſtoralis officii multis indigeat miniſtris, cum meſsis multa ſit, operarii uero pauci. XXXI diſtinct.c.In nouo, uocandi ſunt plures in

partem

partem ſolicitudinis. c. Qui ſe. II. q. VI. c. Ad honorem. de uſu palii. quos remunerare tenetur, necnon & eos qui ſuis ſeruierunt prædeceſſoribus XII. q. II. c. Hoc huiuſmodi c. Charitatem. & c. Eccleſiaſticis. & ad eius ſedem confluant clerici indigentes, quibus paterna dilectione ſubuenire tenetur. XCIII. di. c. Diaconi. & c. Ad renuntiationem. de renunt. non alienum ab æquitate fuit, inuenire modum, quo ſummus Pontifex poſſet pluribus prouidere, ut per eum fieret iuſta beneficiorum diſtributio. & ſi Io. an. in addit. ſpec. ti. de inſtitutionibus, dixerit, quòd olim Rom. Pontifices raro faciebant gratias beneficiales. Vnde in uolumine decretorum. non fatigamur in his. Inceperunt demum illas dare, ſed curialiter: primum rogando, demum præcipiendo, et executores dando: nec facile grauabat unus Papa, eandem eccleſiam, niſi de uno. Vnde ponebat clauſulam, ſi pro alio non ſcripſerimus, uel æquipollentem: ut in c. Statuimus. c. Capitulum c. Ex inſinuatione, cum tribus ſeq. de reſcript. procedente tempore factæ ſunt gratiæ, datis executoribus: ut in c. Pro illorum. c. Dilectus. II. & III. de præben. poſtea, Innocentio IIII. Pontifice, dabatur impetranti beneficium acceptandi. c. Quia cunctis. de præben. lib. VI.

& succeſsiue addita clauſula menſis cum inhibitione & decreto.

Si quis uero improbet reſeruationes ex eo, quòd ordinarii grauari cenſentur. c. Mandatum Apoſtolicum. de reſcrip. cum enim collatio beneficiorum, quædam dici poſsit donatio, quòd ordinarius liberalitate utatur uni magis, quàm alteri conferendo, ut not. in c. Relatum. de præben. & ex hoc collatio beneficiorum inter fructus computetur: ut in c. Cum olim. de maio. & obe. merito dici poteſt grauari ordinarios, quòd hoc fructu, & hac donandi liberalitate priuentur. Reſpondebimus, grauari quidem, ſed non graui onere. Quoniam quando agi tur de collatione beneficiorum, eſt quæſtio de modico præiudicio collatorum, aut eligentium, cum nullam utilitatem aut commodum in conferendo uel eligendo conſequi poſsint. c. 1. ut eccle. benef. ſine dimi. confer. doct. in c. Quæ in eccleſiarum. de conſtitu. proinde dixit Abbas in c. 1. col. fi. de in integ. reſtit. quòd Canonici ſi grauati fuerint in non eligendo, nequaquam ueniunt reſtituendi, quia agitur de modico eorum præiudicio & intereſſe.

Ingenue tamen fatemur, ex frequenti & multiplici uſu reſeruationum conqueri poſſe ordinarios, quòd ius conferendi benefi-

cia maiori ex parte auferatur. quod eſt contra c. Ecce. XCIX. diſt. & eccleſiaſticus ordo confundatur, ſi ſua iuriſdictio cuiq; Epiſcopo non ſeruetur, contra decretum c. Peruenit XI. q. I.

Modus igitur adhibendus, ut uſus ſit, non abuſus: & grauentur quidem ordinarii, ſed ne nimium grauentur. Meminerint itaque Romani Pontifices, priſcos illos Pontifices, prædeceſſores ſuos, tam moderate reſeruationes feciſſe, ut non niſi tempore Innocentii IIII. adinuentæ fuerint expectatiuarum formulæ: quibus etiam tam parce utebantur, ut pro magno munere & lætitiæ ſigno per tres dies dũtaxat date fuerint expectatiuę in forma pauperũ, cum Ioannes, francorum Rex, officii cauſa et uiſitationis ſe contulit ad Clementem VI. Pontificem. et quamuis ipſe Rom. Pontifex, etiam ſi nulla adſit ordinariorum negligentia, nullaq; facta ſit deuolutio, conferre poſsit uniuerſi orbis beneficia, ut not. Abb. in c. Quia diuerſitatem per illum tex. ponderando uerbum, præter diſsidia. de conceſ. præben. per c. I. de præben. in VI. & concurrere poſsit in beneficiorum collatione cum quibuſuis ordinariis, quia eſt ipſe ordinarius uniuerſi orbis. c. Per principalem. c. Cuncta per mundum. IX. q. III. non tamen honeſtati congruit,

tam frequenter ſuprema uti poteſtate, quòd tota fere abſorbeatur Epiſcoporum auctoritas, & iuriſdictio, uſque adeo quòd plures Epiſcopi conquerantur, ſibi duntaxat relicta Mitram & Baculum Epiſcopalia inſignia, reliqua fore inania & uacua. Sed maxime abſtinendum uideretur ab his reſeruationibus & mandatis, quibus mandatur, ut unum, duo, tria, & quotquot uacare contingeret, uſque ad deſignatam ſummam uni conferantur: quæ quandoque non in una tantum aut duabus dioceſibus, ſed ad uniuerſam prouinciam aut regnum extenſæ ſunt; cum his reſeruationibus innumera beneficia etiam incompatibilia quis aſſequatur: quæ cum retinere non poſsit, cogitur aliis renunciare penſione ſibi reſeruata: quo fit ut inhabiles, & minus idonei, maiorem offerentes penſionem, melioribus & magis idoneis præferantur. Habenda etiam eſſet ratio minorum beneficiorum, & eorum maxime, quæ Germani choralia uocant, ut ſcilicet a reſeruationibus excluderentur:ut minus ordinarii grauentur, & ne tam exilia beneficia penſionibus grauentur.

DE PENSIONIBVS.



ENSIONVM super ecclesiarum fructibus reseruatio nequaquam uidetur improbanda, cum pro bono pacis ad lites componendas constituuntur. c. Nisi. de præben. & alteri egenti prouidetur de eo, quod uni superabundat. ut not.doct. in c. Ad audientiam II. de rescrip.in c. Extirpandæ. de præben. in c. Conquerente. de cleri. non resi. & in clem.I.§. Eadem.de cleri. non resi. Ratione etiam inæqualitatis fructuum in beneficiorum permutatione licita est pensionis reseruatio. c. Ad quæstiones. de rerum permuta. Quòd si qui per collusionem aut aliàs legi fraudem fecerint, beneficiis sunt spoliandi, ut cum aliqui super beneficiis quæ obtinent, sustinent se a quoquam molestari, ut postea quęstioni cedant, & quasi nomine transactionis constituatur pensio. c. Audiuimus. de collusio. detegen.

Decretum autem Inno.III.in c.I.ut ecclesia. bene.sine diminutione confer. non prohibet pensionum reseruationem, sed ne collator redditiuum partem quasi paciscendo sibi reseruet, & eius ratione beneficia cum di-

minutione conferantur.

Pensiones autem reseruasse ueteres patres nostros, colligitur ex actis, quæ colligi præcepit Xystus Valentiniano & Anatolio consul. C. I X. & habentur primo tomo conciliorum fol. CCCXXV. ubi legitur quòd damnato in concilio LXXVII Episcoporum, Polichronio, Episcopo Hierosolymitano, propter nonnullos perpetratos excessus; patres concilii constituerunt eidem tria ecclesiæ prædia, ut sibi fructus cederent pro eius sustentatione.

In historia ecclesiastica Nicephori lib. XI. etiam habetur epistola Athanasii, Episcopi Constantinopolitani, ad Episcopum Cretæ: in qua præter cætera legitur, quòd synodicis literis, & Imperatoris decreto factum est, ut ex Episcopatu Metropoli Monobascen. subiecto, CC aurei annis singulis sibi Episcopo Cretæ redderentur.

Habenda tamen uideretur ratio, ne idem beneficium pluribus grauaretur pensionibus: & antiquandus usus & gratia transferendi pensiònes, ne tam diu eo onere beneficia maneant obnoxia, & diuisa.

DE OMNIVM FRVCTVVM RESERVATIONE.



AIOR hæſitatio remanet de omnium fructuum, loco annuæ penſionis, reſeruatione: quia habens titulum, onus ſine fructu ſubire cogitur, contra illud Apoſtoli, primæ Corin.c. IX. Nos plantauimus uineam, & uos uultis fructus illius edere. & illud: Qui altario ſeruiunt, de altario uiuant: & qui in ſacrario operantur, cum ſacrario participent. unus ſeruit altari, & alius uacuum illum dimittit & inanem. unus eſt agricola, & alius uult percipere fructus. & illud: Quis militat unquam ſuis ſtipendiis? quis paſcit gregem, & de lacte ouis non edit? Nos militamus, & uos ſtipendia noſtræ militiæ uobis quæritis. Nos gregem paſcimus, & uos lac & lanam accipere uobis uultis: & habetur in c. Eccleſias. §. Quia ergo XIII.q. I. Sed ad hęc reſpondetur, hoc licere illius auctoritate, qui bonorum huiuſmodi diſpenſator eſt, & arbiter; Romani .ſ. Pontificis: & non licere inuito eo, qui plantauit uineam; renitente eo, qui altario ſeruit, aut agricola. Volenti autem

& conſentienti nulla fit iniuria. Quis enim prohibet, ſi quis operam ſuam gratis impendere uelit? ſiquis uoluerit propriis impenſis militare? etiamſi id fecerit ſub ſpe ſucceſsionis. Nonne Paulus potuiſſet uictum a Corinthiis exigere, quibus ſeminabat ſpiritualia? & tamen abſtinuit, nec exegit.

DE RESERVATIONE REGRESSVVM.



E regreſsibus, fatemur eos nuper inuentos, & eorum uſum ignoraſſe maiores noſtros. dicimus tamen ex antiquorum Canonum ratione ſuſceptos, ex tex. ſcilicet in c. Cum pridem de pact. cum enim prior, & fratres monaſterii de Acra non paruiſſent mandato Apoſtolico, quo Alex. III. mandauerat illis, qui eius monitu ceſſerant iuri ſuo, prouideri de aliquo beneficio eccleſiaſtico; mandauit eiſdem reſtitui eccleſiam, & cappellam quibus ceſſerant: quod erat regredi ad beneficia, quæ renuntiauerant.

Siquis uero obiiceret, reſeruationes & regreſſus ſecum habere uotum captandæ mortis, & propterea magno illo Lateraṅ. concilio ſtatutum, nulla eccleſiaſtica miniſteria aut beneficia cuiquam danda, antequam uacent, ne deſiderare quis mortem proximi uideatur, in cuius locū & beneficium ſe putat ſucceſſurum, & habetur in c. 11. de conceſ. præben. Quod etiam imperialibus legibus uetitum fuit l. Ex eo teſtamento. C. de

inuti. ſtipul.l.fi.C.de pact.ubi ſtatuitur, his, quibus erat ſpes alienæ hæreditatis ex cognatione forte ad eos deducendæ, non licere quidquam de aduentura hæreditate paciſci; ſubiicitq; legislator, omnes huiuſmodi pactiones odioſas uideri, & plenas triſtiſsimi & periculoſi euentus, & propterea tanquam contra bonos mores reiiciendas. Quod etiam deducitur ex ratione l. Hæreditatem. ff. de acquiren. hæredi. l. Quidam. ff. de donat. l. Stipulatio hoc modo cõcepta. de uerb. oblig. & not. glo. in. d. c. Propoſuit. de conceſſ. præben. Reſpondemus, quòd etſi pactiones de uentura hæreditate, antequam hæreditas deferatur, odioſæ ſint, contra bonos mores, & plenæ triſtiſsimi & periculoſiſsimi euentus, uiuente eo & ignorante, de cuius rebus paciſcentes conuenerint; & propterea deteſtandæ, & legibus uetitæ: ſi tamen ipſe, de cuius hæreditate pactio fuerit, uoluntatem ſuam accommodauerit, licebit illo ſciente huiuſmodi pactiones ſeruare. & habetur in. d. l. fi. C. De pactis. eadem itaque ratione uidetur tolerari poſſe & debere de conſenſu obtinentis beneficium, & eius auctoritate, qui ius dare poteſt, ad uacatura ſucceſſorem dari, cum maxime per regreſſum, ſi prius deceſſerit is, in cuius fauorem facta fuerit beneficii reſignatio, ille de-

nuo præficiatur beneficio, qui ſemel ad idem munus ut idoneus admiſſus fuerat: & propter aliquam cauſam utilem & honeſtam quis etiam ea conditione, ut ſibi detur regreſſus beneficio quod obtinet, uoluerit renunciare ar. c. Niſi cum pridem. in fi. de renunt. ut quia ſit ſenex, aut is, in cuius fauorem fieret reſignatio, eſſet magis idoneus. & ut uno uerbo concludamus, nec paſsim, nec omnibus uiderentur dandi regreſſus, ſed tunc demum, cum adeſt eccleſiarum utilitas, aut neceſsitas, nulla perſonarum habita acceptione. Quæ tamen non cenſeretur haberi, ſi uiris probis, deum timentibus, & religioſis fieret gratia, in quibus ceſſaret omnis ſuſpicio uoti captandæ mortis. aliis uero minus idoneis negaretur.

DE COMMENDIS BENEFICIORVM.



OMMENDARVM duo sunt genera: unum, quod fit pro ecclesiarum utilitate: alterum, quod ad recipientis utilitatem. Maiores nostri priori commendarum genere quandoque utebantur, nulla utilitatis personarum habita ratione. & hos commendatarios quandoque uisitatores appellabant: qui etiam de rebus ecclesiæ alimenta sumebant, quod superrerat, ecclesiæ, uel successori reseruato, ut in c. Charitatem. & in c. Ecclesiasticis XII. q. II. Nam Gregorius, uacante Panormitañ. ecclesia, uni uisitatori commisit, ut omnia monasteria, sub Panormitañ. constituta ecclesia, eius dispositione regerentur, quoadusque proprius Episcopus fuisset ordinatus. Quod nihil aliud erat, quàm dicta monasteria eidem commendare. & habetur in c. Obitum. LXI. dist. & idem Gregorius Neapolitañ. ecclesiam Paulo cuidam commendauit, quem clerus cum populo in Episcopum elegerant, quousque deliberare posset, quæ illi facienda postulabant. & ha-

betur libro II epistolarum, epistola VII. Sic idem Gregorius Fundensi Episcopo Terracineñ. commendauit ecclesiam, adeo ut modis omnibus quæcunque ad Episcopum pertinent faciendi haberet potestatem: & habetur in c. Relatio, & in c. Illud XXI. q. I. Sic ante Gregorium pelagius eius prædecessor Catinensem ecclesiam pastore desti tutam Eucarpo Messaneñ. Episcopo commendauit quousque proprius eligeretur Epi scopus, & habetur in c. Catinensis LXI dist.

Legitur in historia ecclesiastica Nicephori Callixti lib. XI epistola Athanasii Constan tinopolitañ. Episcopi ad Episcopum Apameæ, additam sibi & commendatam ecclesiam, ut præesset.

Minora etiam beneficia sub commendatione concedebantur, ut habetur in c. Qui plures. XXI. q. I. quod fuit Leonis IIII decretum, qui factus est Pontifex anno octin gentesimo quadragesimo octauo, ubi inquit: Qui plures ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam uero sub commendatione re tinere debet. licet Aqueñ. concilium permittere uidetur iure speciali unum eundem, tãquam titulatum duobus monasteriis præesse posse: quamuis regulariter interdixerit unum Abbatem duobus monasteriis præsidere, & habetur in c. Vnum. XXI. q. I. &

de commendatione ad tempus, & quæ fiat pro ecclesiæ utilitate extat decretalis, Nemo de electio.lib. VI. ubi commenda, quæ ab Episcopis ad menses sex fiebat, maiorem requirit perfectionem, quàm beneficii ordinaria collatio. hæc enim solum exposcit, ut is qui beneficium, cui cura imminet animarum, suscipit, infra annum adeptæ possessionis se faciat promouere ad sacerdotium: illa uero, quòd tempore quo beneficium sibi commendetur, sit sacerdos. Quod colligitur ex duabus decretalibus si simul iungantur uidelicet c. Nemo. & c. Licet canon. de elect. li. VI. nec commenda huiusmodi titulus est beneficii, nec ullam tribuit dignitatem. c. Dudum II. de elect. quapropter glosæ in c. Nemo. de elect. li. VI. & in c. Si constiterit. de accusa. uocant commendatarium non prelatum sed administratorem. quibus glosis consentit Archi. in c. Is cui. de elect. li. VI. Hinc est quòd per mortem commendatarii noua beneficii uacatio non inducitur, cum eo uiuente eius beneficiũ uacauerit, & uacaret, si denuo commendaretur, donec Papa ecclesię prouideret de prelato, secundum Ostieñ. in c. Ne pro defectu de elect. & glo. in clem. I. ut lit. penden. & ideo dicitur eo modo uacare, quo ante commendam uacabat.

Hinc est quòd commendatarius deposita

rius cēsendus est ad utilitatem ecclesiæ deputatus. qualis est de quo loquitur iureconsultus in l. Commendare ff. de uerb. signi. & in l. Lucius. ff. depo. & decretalis, Ne quis arbitretur XXII. q. II. & propterea pro arbitro fructus dispensare non potest, sed eos conseruare debet futuro prælato, retentis solum quæ pro alimentis fuerint necessaria, ut decernitur in c. fi. LXI. di. in c. Quia frater VII. q. I. in c. Charitatem XII. q. II. & glo. in c. Nemo, de elect. li. VI.

Occasionem etiam commendarum dederunt religiosorum lapsi mores, & prelatorum infirmum & negligens regimen. Cum enim labentibus in deterius religiosorum moribus, & ipsi ordinis sui instituta non seruarent, conniuentibus eorum prelatis, quin & ipsis rebus ecclesiæ male utentibus; factum est pro ecclesiarum utilitate, pro animarum salute, utq; lapsi mores restituerentur a maiori dignitate præditis, ut his commendarentur in depositionem scilicet & custodiam quandam: qui tanquàm tutores & curatores ecclesiarum curam susciperent, dimitterentq;, cum emendati forent collapsi mores. Sed proh dolor crescente hominum malitia & insatiabili auaritia, quæ est idolorum seruitus, atque etiam deficerent, qui ad regularem uitam cōfugerent ob huiusmodi

religiosorum

religioſorum collapſos mores Roma. Pontifices, qui ut Chriſti in terris uicarii conſtituti ſunt diſpenſatores bonorum eccleſiaſticorum, & ipſarum eccleſiarum commendas, quæ ad tempus dabantur ad uitam obtinentium prorogarunt. & iamdiu receptum ut quæ commendari conſueuerant ſine difficultate commendentur, quaſi ſtatum mutauerint, quæ tolerandæ uiderentur, modo commendatarii curam haberent, ne regularibus miniſtris eccleſiæ deſtituerentur, & ne ædifitia collaberentur.

Hoc ſecundum commendarum genus, quod maiores illi noſtri ignorabant, titulo æquiperatur, hoc ſolo diſtante, quòd titulus dignitas foret, commenda nequaquam. & cum commendæ huiuſmodi ad utilitatem recipientis, ut ſcilicet ſe commodius ſuſtentare poſsit, quod oſtendunt diplomata conceſsionis, concedantur, cenſentur commendatarii dati procuratores in rem ſuam qui re integra amoueri non poſſunt. glo. in l. Sicut. §. Si procurator. ff. de procura. per l. I I I. C. de donat. ſicut etiam ſi cui recipientis gratia & ad ſui utilitatem res aliqua ad certum uſum fruenda conceditur, quoad perdurat uſus reuocari non poteſt. l. Commodato §. Sicut ff. cõmo. & glo. in c. Bona fides. de depoſi. Hinc dixit Alexandri. in c. Cum autem

XLIII.di. quòd si commendatarius is perpetuus in malos usus fructus ecclesiæ consumat, & si grauiter peccet, non tamen tenetur ad restitutionem, ad quam tamen tenetur commendatarius ad tempus pro utilitate ecclesiæ datus, qui non facit fructus suos, sed similis est tutori & curatori.

Sed sicut uidentur tolerari posse commendæ huiusmodi perpetuæ non minus quàm toleratur ut regularia beneficia quæ secularibus conferri consueuerunt secularibus conferantur, & ea ratione censentur mutasse statum, & de regularibus effecta secularia & itidem econtra; ita improbandæ commendæ quæ in fraudem incompatibilitatis & defectus ætatis quandoque uidimus fieri, ut cum incompatibilitatem non faciant commendę, innumera beneficia eidem commendentur, & cum quis per ætatem inhabilis est ad beneficium in titulum recipiendum, eidem commendetur. De quo sæpius in concilio Tridentiñ. reclamaui, id approbantibus patribus: & sancitum, ut incompatibilitatem faciant. Quod sanctissimum foret decretum, modo usu comprobetur.

DE VNIONIBVS ECCLESIARVM.



MAIORES nostros pro utilitate, aut necessitate ecclesiarum, illas inuicem, aut unam alteri uniuisse, exemplum habemus Magni Gregorii, qui Cumanam & Musitanam ecclesias simul uniuit. Quoniam nec longo a se itineris interuallo seiunctæ erant, nec tanta populi multitudo erat, ut, sicut olim fuerat, duos habere deberent sacerdotes. & habetur in c. Et temporis qualitas. & c. seq. XVI. q. I. Sumptum ex illius epistola XXXI, libri II ad Benenatum Episcopum.

Aliud exemplum habemus eiusdem Gregorii, epistola XXXIX, lib. VIII. ad Adeodatum Abbatem Neapolitañ. ubi monasterium Puteolis constitutum, quod falcedis dicebatur, adeo a monachis destitutum, ut nullum Dei opus illic celebraretur, monasterio eiusdem Adeodati perpetuo duxit uniendum, & eidem monasterio Neapolitañ. uniuit Gazereñ. monasterium: licet de monasterio Gazereñ. subiecerit, quòd utrum in perpetuum hæc unitio extendi, an tempo-

ralis esse deberet, se maturius ac solidius pertractaturum, cum propitiante domino Neapoli fuisset Episcopus ordinatus.

Idem Gregorius epistola LXVII. li. IX. ad Agapitum Abbatem, monasterium, quod in fundo Martiano situm erat, quod ab hostibus desolatum fuerat, monasterio ipsius Agapiti cum omnibus rebus suis & ei competentibus actionibus uniuit, ea tamen ratione, ut iurisdictionem illic non Episcopus Surrentiñ. in cuius ciuitate erat Agapiti monasterium situm, sed Nucerinus, cuius erat diocesis, haberet, ut iura sua singulis Episcopis seruarentur. & habetur in c. II. de religi. domi. Romanum autem Pontificem posse duos Episcopatus in unum redigere, & unum diuidere, etiam inuito Metropolitano, decreuit Paschalis II. in c. Decimas XVI. q. I. De inferioribus etiam beneficiis inuicem uniendis extat decretum Honorii III. in c. Exposuisti. de præben. ubi plures capellæ propter paupertatem ministrorum uni ecclesiæ uniuntur. & sic unitæ ecclesiæ dicuntur inuicem dependere, & plures licet retinere. Quod tamen aliàs prohibent sacri canones c. Eam te. de æta. & quali. Propter paupertatem ecclesiarum itaque licet illas unire, quod etiam licet Episcopo c. Sicut unire. de exces. præla. quod fuit decretum

Celestini.III.& propterea decretum idem in prioratibus, & regularibus beneficiis, quando adeo tenues sunt redditus, quòd duobus non suppetant, cum uetitum sit, ne monachi singuli in singulis sibi commissis administrationibus uel prioratibus habitare prę sumant. Clem.ne in agro. §. Ad hæc. de statu mona. Quod refert Clemens v. decretum fuisse a prædecessoribus suis, scilicet ab Alex. III.in Lateranen̄.concilio in c.II. eo. ti.& ab Honorio III.in c.penul.& ult. de capel.mona.& Episcopus unire potest unam ecclesiam alteri, etiam non uocato rectore, aut defensore, si uacabat, licet unire non possit suæ mensæ, aut capituli sui Clem. II. de reb.eccle.non alie.

Tribus autem modis fit ecclesiarū unio. Primo, cum una alteri subiicitur: quo casu sedes apud illam erit, cui alterius facta est subiectio. Secundo, si ex duabus dignitatibus una fiat: quo casu unius ecclesiæ Canonici, erunt & alterius Canonici, intereruntq; utriusque ecclesiæ Canonici electioni Episcopi, & aliis negociis. si tamen una alteri unitur, unitæ communicantur priuilegia alterius c. Recolentes. §. ult. de statu mona. quòd si adinuicem uniuntur, consuetudines & priuilegia potiora, & benigniora uniuntur & retinentur in utraque ar.c. Me-

dicamentum.de pœni.di.1.& c.Non eſt culpandus XXXII.q.1. ſicut Imperator cum unit actionem bonæ fidei, & ſtricti iuris, iſtud unitum retinet ea quæ meliora fuerunt in altera actione.l. Vnica.in princi.C.de rei uxo.actio.ſimiliter cum legata, & fideicom miſſa uniuntur; quod humanius eſt, retine tur unitum in utraque l.II.C.communia de leg. Tertio modo fit unio, quòd utraque maneat Epiſcopalis: quo caſu duæ erunt Epiſcopales ſedes, ſed unus Epiſcopus præerit utriq;, ut in c.Et temporis qualitas.XVI. q.1. & ſi illæ duæ eccleſiæ duobus ſuberant metropolitanis, neutri fiet præiudicium: ſed quiſque eorum ſuum retinebit ius c. Quia monaſterium. de reli. domi. hæc glo.in c. primo in uer.uniendo. ne ſede uacan. quæ memoria retinenda.

Cauſæ autem, propter quas fieri debeat eccleſiarum unio, colliguntur ex iuribus prius citatis. Quando ſcilicet deeſt & immi nutus eſt parochianorum numerus, habita ratione prioris temporis, ut in d. c.Et temporis qualitas XVI. q. 1. quando redactæ ſunt ad paupertatem d.c.Expoſuiſti. de præ ben.Clem.Ne in agro. §. Ad hęc. propter euidentem utilitatem uel neceſsitatem eccleſiarum. d.c.Expoſuiſti c.1. ne ſede uacan.

Neceſsitas autem, propter quam fit ne-

cessarium fieri unionem, est, quando nulli aut admodum pauci sunt deseruientes ecclesiæ c.pe. de cleri.non resi.c.Cum ecclesia. de elect. Vtilitas autem, ut quando adsunt quidem deseruientes, sed adeo inopes, pannosi, & literarum ignari, quòd ecclesia egeat idoneis ministris: ut cum propter hostiles incursiones ecclesia est desolata, & depauperata, & propterea non inueniuntur idonei ministri, qui deseruiant ecclesiæ, ut not. Ostien.& Io.an.in c.Quia monasterium.de reli.domi.

Reuocari autem potest, & forte debet, unio, cessante causa propter quam facta fuerit, ar. c. Post translationem de renunt. & glo.eiusdem in uer.cessante. quæ plura allegat, quòd cessante causa cessare debet effectus. & c.Suggestum in ratione sui. de decimis.& not.in regula, Decet.de reg. iuris li. VI.Ideo si propter paupertatem ecclesiæ fieret unio, ut in clem. I. §. Ad hæc. de statu mona.auctis facultatibus, reuocari posset unio, sicut excrescentibus facultatibus ecclesiæ augetur numerus Canonicorum.c.Cum M. de consti.sic si propter defectum populi facta est unio, aucto populo posset reuocari; si propter hostiles incursiones aufugerint monachi, & facta fuerit unio; cessante hostilitate, & redeuntibus monachis, reuoca-

rì poterit unio. Idem si unio facta fuerit ex eo, quòd monasterium situm erat in medio nationis peruersæ, ut in casu c. Officii. de elect. si desinat natio esse peruersa, reuocari poterit unio. similiter, si capto loco ab infidelibus, ut in casu c. fi. de paro. fieret unio, aut deserto loco, eo modo, quo desertus dicitur in c. I. de uerbo. signi. li. VI. cessante desertione, reuocari poterit unio. Item si fæuiente pesecutionis rabie, ut in casu. c. Post translationem. de renunt. fieret unio, uel propter malitiam plebis, quæ adeo foret duræ ceruicis, quòd nequiret prælatus proficere, ut in casu c. Nisi cum pridem. §. Propter malitiam. de renunt. cessante plebis malitia, aut persecutione, reuocari posset unio. Similiter, si ob rebellionem ciuitatis erga Rom. sedem, fieret unio ecclesiæ loci rebellis, ecclesiæ sitæ in loco non rebelli, reuocari poterit cessante rebellione. Similiter, si propter unionem ecclesia unita uergeret in deteriorem statum, reuocanda uideretur unio. Quod probari uidetur in d. c. I. ne sede uacan. dum dicitur: Cum per ipsam (unionem. s.) dissolueretur religio, fraudaretur eleemosyna, & hospitalitas tolleretur. debet enim eo casu superior prouidere indemnitati ecclesiæ. c. Ne pro defectu. c. Nihil. de elect. c Cupientes. & c. Indemnitatibus eo.

ti. li. VI. & ut plura uno uerbo concludamus, ſicut propter neceſsitatem aut utilitatem eccleſiæ fieri debet unio, ſic propter neceſsitatem aut utilitatem eccleſiæ fieri debet diſſolutio: ſicut reuocantur ſtatuta, quæ uergunt in detrimentum eccleſiarum. c. Quæ in eccleſiarum. de conſti. c. Eccleſia. de rebus eccle. non alie. c. fi. de immuni. eccleſ. & c. I. eo. ti. lib. VI.

Sicut tamen approbandæ, & retinendæ ſunt uniones, quæ fiunt pro utilitate & neceſsitate eccleſiarum, quæ perpetuæ ut plurimum exiſtunt: ſic deteſtandæ & reiiciendæ, quæ ad uitam in fraudem incompatibilitatis aut defectus ætatis recentiores adinuenere: quibus fit ut etiam obtinens beneficium, cui cura imminet animarum, non teneatur ad ſacros ordines promoueri. quoniam unita beneficia incompatibilitatẽ non faciunt. c. Super eo. de præben. lib. VI. Item ex unione plurium beneficiorum canonicatui cathedralis eccleſiæ, efficitur ut unus abſque alia diſpenſatione plura obtineat incompatibilia. Item efficitur, ut ſi canonicus non eius ſit ætatis, quæ ad curatum obtinendum requiritur, illud in minori ætate uigore unionis aſſequatur, qui nec etiam ad ſacros ordines, niſi cum libuerit, promouetur. Vidimus enim quamplures prætextu huiuſmo-

di unionum, quas ad uitam uocant, parochiales ecclesias, quoad uixerint, nullis susceptis sacris ordinibus retinuisse: & alios, postquam ad decem aut uiginti annos parochiales ecclesias possederint, uxorem duxisse, nullo præpediente sacro ordine.

DE COADIVTORE EPISCOPORVM.



OADIVTORVM constitutio non est recentiorum inuentum, sed a maioribus nostris ante annos MCC recepta. legitur enim in ecclesiastica historia Eusebii lib. VI. c. IX. quòd cum Narcisus Hierosolymorum Episcopus, iam senio fessus, Pontificatus ministerio sufficere non posset; Alexandrum, confessionis titulo clarum, qui iam esset Capadocum Episcopus, diuina dispensatio in adiutorium Narcisi senis euidentissimis reuelationibus euocauit: deinde subiiciens, eundem Alexandrum in epistolis ad Antinoitas meminisse Narcisi, tanquam socii & consortis in Episcopatu, his ipsis uerbis: Salutat uos Narcisus, qui ante me Episcopatum huius ecclesiæ regere cœpit, quiq; mecum positus, orationibus uestris centum iam & sedecim annos uitæ suæ gerit: qui & ipse uos mecum pariter deprecatur esse concordes.

Idem Eusebius lib. VII. cap. XXVIII. post laudes Anatolii, Episcopi Laodiceæ, refert, quòd huic primus Theotecnus sacer

dotium Cæſareæ tenens in Epiſcopatu manus impoſuit, & uiuens ipſe eum ſucceſſorem ſuæ cathedræ ſtatuit, unde & aliquanto tempore pariter cum ipſo Theotecno Cæſarienſi eccleſiæ præfuit.

De Gregorio Nazianzeno legitur li. XI. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, auctore Rufino, quòd quoniam iam feſſa ætate, & corpore inualidus erat, ſucceſſorem ſibi ipſe delegit, quo eccleſiam gubernante, debilitatis & ſenectutis ocio frueretur.

Legitur in Epiſtola Paulini ad Romanum, & habetur in c. Non autem. VII. q. I. Non autem hoc tantum ſcripſimus, gratulandum, quòd Epiſcopatum Auguſtinus accepit, ſed quòd hanc curam Dei gratia meruerit Africana eccleſia, ut uerba cœleſtia Auguſtini ore perciperet: qui ad maiorem dominici muneris gratiam nouo more prouectus, ita conſecratus eſt, ut non ſuccederet in cathedra Epiſcopo, ſed accederet. nam incolumi Valerio Hipponenſis eccleſiæ Epiſcopo coepiſcopus Auguſtinus eſt. de quo idem Augu. Epiſtola CX. ad Theodoſium & Valentinianum Augu. inquit: Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & coepiſcopo meo, ſene, Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo. Quod concilio Niceno prohibitum fuiſſe neſciebam,

nec ipſe ſciebat. qui & ipſe hoc exemplo Eradum ſibi ſucceſſorem elegit. inquit enim eadem epiſtola: Scio poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos, aut contentioſos ſolere eccleſias perturbari, & quod ſæpe expertus ſum, & dolui, debeo, quantum ad me attinet, ne contingat, huic proſpicere ciuitati: ſicut nouit charitas ueſtra, in Mileuitañ. eccleſia modo fui. petierunt enim me fratres (maxime ſerui Dei, qui ibi ſunt) ut uenirem, quia poſt obitum beatæ memoriæ fratris, & coepiſcopi mei, Seueri, nonnulla ibi perturbatio timebatur, Veni, & quomodo uoluit, dominus adiuuit nos, pro ſua miſericordia, ut cum pace Epiſcopum acciperent, quem uiuus deſignauerat Epiſcopus eorum. hoc enim eis cum innotuiſſet, uoluntatem præcedentis & decedentis Epiſcopi ſui libenter amplexi ſunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contriſtabantur, quia frater Seuerus putauerat ſufficere, ut ſucceſſorem ſuum apud clericos deſignaret, apud populum inde non locutus eſt. erat inde aliquorum nonnulla triſtitia. Quid plura? Deo placuit, triſtitia fugata eſt, gaudium ſucceſsit. ordinatus eſt Epiſcopus, quem præcedens Epiſcopus deſignauit. ego, ne aliqui de me querantur, uoluntatem meam, quam credo Dei eſſe, in omnium ueſtrum

notitiam profero. presbyterū Erardum mihi successorem uolo. A populo acclamatum est, Deo gratias, Deo laudes. & quæ sequuntur.

Ante Valerium & Augustinum, Athanasius sibi delegerat successorem: ut legitur libro undecimo ecclesiasticæ historiæ, auctore Rufino, cap. III. his uerbis: Ea tempestate (fuit autem anno CCCLXXIII) cum quadragesimo & sexto anno sacerdotii sui Athanasius, post multos agones, multasq; patientiæ coronas, quieuisset in pace, sciscitatus de successore, Petrum tribulationum suarum participem & socium delegit.

Bonifacius etiam Maguntiñ. Archiepiscopus, ex concesione Zachariæ Papæ habuit facultatem designandi sibi successorem. c. Petisti. VII. q. I.

Nemo tamen existimet his exemplis licere cuiquam Episcopo, aut sacerdoti, deligere sibi successorem. quod, teste Augustino, prohibitum fuit in Niceno concilio: licet is canon inter uiginti, qui extant, non inueniatur: nisi uelimus dicere, id præcipi quarto canone, cum decernitur, a quibus Episcopi debeant ordinari. Prohibitum etiam fuit in concilio Antiocheno, ut habetur in c. Episcopo VIII. q. I. a concilio Martini Papæ, de quo in c. Episcopo. ab Hila-

rio Papa, in c. Pleriq;. & ab Inno. II. in c. Apostolica ea. ca. & q. Quod etsi id fecerint sancti illi patres, de quibus meminimus, quia tamen teste Hieronymo, in epistolam ad Titum, & habetur in c. Moyses. VIII. q. I. plurimi hanc rem beneficio faciebant, non quærentes eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscerent ecclesiæ prodesse, sed quos uel ipsi amarent, uel quorum forent obsequiis deliniti, uel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, uel qui, ut fierent clerici, muneribus impetrarunt; ab his, quos diximus, conciliis & Romanis Pontificibus prohibitum fuit. Permittitur tamen & Rom. Pontifici, & aliis Episcopis, de sui successoris electione cum fratribus consilium sumere: ut decreuit Symmachus Papa in c. Si transitus. LXXIX. dist.

De coadiutore nouissime decretum fuit a Bonifacio VIII. in c. unico. de cleri. ægro. li. VI. Dationem coadiutorum Episcopis, aut eius superioribus, tanquam de maioribus causis, pertinere ad Rom. Pontificem. posse tamen Episcopum, senio uel perpetua infirmitate impeditum, de capituli sui consensu auctoritate Apostolica unum uel duos coadiutores assumere: quod faciet capitulum, si Episcopus demens fuerit. is tamen non erit in ecclesia successor, nisi id expres-

ſim indulgeat Rom. Pontifex, qui ſolus dare poteſt ius ad uacatura. c. I I. de præben. li. V I. in inferioribus autem ſacerdotiis, ad eos pertinet, ſubſiſtente cauſa, dare condiutorem unum uel plures, ad quos ſpectat inſtitutio, aut ceſsionis admiſsio: ut habetur c. I I I. & c. ultimo. de cleri. ægro.

Coadiutorem opus eſt talem fore, qualis eſſe deberet is, cui datur. propterea in ea debet eſſe ætate, quæ in executione dati officii expoſcitur. ut, ſi detur curato, eſſe annorum X X V. c. Nemo deinceps de elect. li. V I. ſi datur Epiſcopo, X X X annorum. hanc enim requirit ordo Epiſcopalis. c. Cum in cunctis. de elect. de quo tamen dixit Io. an. ſe dubitare. Abb. autem diſtingit caſus. Cum ſcilicet datur coadiutor Epiſcopo, in tẽporalibus ſolum, ſufficere annos X X V. quòd ea ætas idonea cenſeatur ad temporalium adminiſtrationem, cum in ea tutor, curator, & procurator eſſe poſsit. l. fina. ff. de legi. tuto. cap. Qui generaliter. de procurato. lib. V I. Cum uero dandus ſit in ſpiritualibus, requiri X X X, quòd ea ætas matura cenſeatur & idonea ad officium Epiſcopale.

Secundum autem exigentiam aut neceſſitatem eccleſiæ, dandus eſt coadiutor in temporalibus: ut in c. Venerabili. de offic. delega. aut ſuper utroque in ſpiritualibus, ſcilicet

ſcilicet & temporalibus c. Quamuis.c. Petiſti. VII.q.I.

Regulariter autem inuito & recuſanti dari non debet coadiutor c. Scripſi.c.Qualiter. c. Quamuis. §. ecce. VII. q.I.c. unico. de cleri.ægro.lib.VI. Aliquo tamen caſu, etiam inuito & non petenti dari poteſt, ut in c. Ad audientiam. in fi.de eccleſi.ædifi.& not.in c. Ex parte. de cleri.ægro.

Coadiutor non eſt prælatus, ſed exercitium curæ tantummodo habet; iure prælationis, cura penes infirmum remanente.d.c. unico. de cleri. ægro. & quia ex redditibus portionem habet, non integros fructus, non eſt prælatus, cum prælatus liberam habeat reddituum adminiſtrationem. c. Cum nobis. in fi.de elect. quicquid dixerit glo. in.c. II. in uer.curam. VII.q.I. quod dicimus de coadiutore dato Epiſcopo, aut aliis eccleſiaſticis uiris. Secus tamen de coadiutore dato ſeculari principi, aut Regi, quoniam is liberam habet adminiſtrationem. Vnde poterit adminiſtrare non ſolum ea quæ ſunt patrimonii, ſed ea etiam quæ ſunt iuriſdictionis: & ei plenarie reſponderi debent, & ſine diminutione, omnes regni prouentus.c. Grandi.de ſupplen.neg.præla.de quo forte ſenſit glo.in.d.c.II. VII.q.I.cum dixit, coadiutorem habere liberam & generalem ad-

ministrationem.

Non poterit ea ratione coadiutor conferre beneficia, secundum Archid. & Io. and. in. d.c.de cleri ægro. Alexã.tamen in c. II. VII.q.I. tenet, quòd datus seni uel dementi poterit beneficia conferre, ne contingat beneficia diutius uacare, nec obstare c. ulti. de offi.uica.lib. VI. quoniam loquitur in procuratore & uicario, & quoniam eo casu non differtur collatio, et beneficii prouisio, quam principalis facere poterit. nec etiam obstare c.fi.de supp.negli.præla.li.VI.ubi negligente uel malitiose administrante capitulo, datur administratio uisitatori, qui non confert beneficia. Quoniam eo casu sicut non transit in capitulum beneficiorum dispositio, sic nec in administratorem loco capituli datum. & quia præsumitur, quòd propter tempora à iure statuta prouidebitur celeriter ecclesiæ uacanti: quod non præsumitur in sene aut demente: quæ sententia æquior uidetur.

Si coadiutor Episcopus fuerit, exercere poterit pontificalia, sicut uisitator datus a Papa, si non sit Episcopus, exercebit solum Episcopalem iurisdictionem, comprouinciales autem Episcopi supplebũt ea quæ sunt ordinis. c. Pontifices VII.q.I. Causa autem, cur coadiutor prohibetur consecrari

Epiſcopus, eſt, quia eius officium expirat, mortuo eo, cui datus eſt coadiutor.c.Grandi. de ſupplen.neg.prælа. & idem in morte ciuili. Cum enim non ſuccedat in Epiſcopatu, eſſet conſecratus Epiſcopus ſine Epiſcopatu.& quod dixit Greg.in epiſtola ad Eleutherium Epiſcopum, quæ eſt ſeptima li.XI. quòd ſi, qui loco ægroti ordinatus eſt, ſuperſtes fuerit ægroto, loco eius debebit conſecrari; non eſt intelligendum de coadiutore dato ægroto, ſed de eo, qui loco illius ordinatus eſt, infirmo renunciante. Quod denotant uerba illius epiſtolæ, Si ipſe, data petitione, non ſe ulterius ad hoc miniſterium ſubuertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere,& alium loco ſui expetat ordinandum: quo facto omnium ſolenniter electione, alter qui dignus fuerit Epiſcopus ordinetur: & habetur in c.Quamuis VII.q.I.Quod uero eodem loco ſubiicitur: Si nullo tempore ad ſanæ mentis redit officium, perſona fidelis ac probabilis uitæ eſt eligenda, quæ ad regimen eccleſiæ idonea poſsit exiſtere. Qui etiam Epiſcopo, qui ægrotat, ſuperſtes loco eius debeat conſecrari. glo. interpretatur factam Epiſcopi electionem ſub conditione, niſi ille conualuerit: quo conualeſcente, irrita fuiſſet electio, eo mortuo confirmata. ex quo loco colligunt plures,

dari posse coadiutorem cum successione. ex quo textu etiam colligitur, quòd Episcopo uiuente alius potest eligi, sed eo uiuente non potest consecrari, ar. c. Petistis. & c. Sicut uir. ea. ca. & q. ubi Archi. & alii notãt, quòd sicut Papa concedit eligi, ita potest concedere consecrari, sed non uult.

Ex his ortum habuere coadiutoriæ nostri temporis, quas quandoque uidimus a Rom. Pontificibus passim concedi: quandoque intermitti, & omnibus denegari. earum usus non omnino uideretur improbandus, dummodo non solius successionis & sanguinis, sed meritorum, & probatæ uitæ habita ratione utilitatis ecclesiæ darentur; hisq; animi dotibus, & his moribus præditi forent, quòd digni & idonei essent ad Episcopale onus subeundum. & ne sola nuncupatione, & propter successionem forent coadiutores, forte deceret & expediret, ut consecrarentur Episcopi. Quod posse concedere Rom. Pontificem fatentur interpretes canonum ante citati. Et id magis expediret, & pro maiori ecclesiæ dignitate foret, quàm uti ministerio eorum, qui titulo tenus Episcopi sunt, portatiles à Gallis nuncupati.

DE RESERVATIONE CASVVM ABSOLV-tionis a Rom. Pontifice, & Episcopis.



ON improbandũ, quòd Rom. Pontifex et Episcopi casus aliquot suæ reseruent absolutioni. Quoniam sicut Episcopus, qui suæ diocesis curam gerit, illam inter plures partitur sacerdotes, nec oneri tribuitur, quòd uni uniuersam non commiserit: sic non est quod quis grauetur, si sibi quædam reseruat Episcopus, aut summus Pontifex, quorum curam putant maiorem, quam quæ cuiuis committatur sacerdoti, uniuersamq; eorum auctoritatem singulis non committant sacerdotibus. Quod etiam optima factum est ratione, ne scilicet peccatores, nimis facili proposita remissionis spe, procliuiores ad scelera reddantur: ut maiore erubescentia, quam sacri canones uoluere esse partem non contemnendam pœnitentiæ, crimina detegantur: ut quæ grauiora sunt, & maiore indigent examine, ad magis peritum & maioris auctoritatis deferantur Antistitem: sicut in grauiori-

bus morbis peritiores adhibemus medicos. ut etiam maior ſit peccantibus abſtinendi cura, & delinquendi uerecundia. Quod autem ad ſummum attinet ſacerdotem, iamdiu ſancitum eſt, et omnium cõſenſu receptum, maiores cauſas ad Apoſtolicam ſedem deferendas: ut aliàs plene expoſuimus. Quod etiam ab eo deductum eſt, quod habetur Exo. XVIII. cum mandatum fuit Moyſi, ut prouideret de omni plebe uiros ſapientes, & Deum timentes, in quibus eſſet ueritas, & qui odiſſent auaritiam, & conſtitueret ex eis tribunos, centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicarent populum omni tempore. Quicquid autem maius foret, referretur ad Moyſem, perinde ac maiorem: & ipſi minora tantum iudicarent. & Deutero. primo, ubi inquit Moyſes: Si difficile uobis uiſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.



ORDINARIORVM excessus causam dedere exēptionibus. Dum enim se ipsos pascunt, subditos grauant, non admonent, non corrigunt, nec per eorum uisitationem quod infirmum est consolidatur; quod egrotum est, non sanatur; quod confractum est, non alligatur; quod abiectum est, non reducitur; & quod perditum est, non requiritur; merentur audire quod dicit dominus Ezechiel. XXXIII. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, ne pascant amplius semetipsos: sed & ego ipse requiram oues meas, & uisitabo ipsas. Quod etiam si nulla adsit eorum culpa, non est quòd doleant locorum ordinarii, aut pro onere putent, si multiplicata messe etiam plures operarii transmittantur a domino; qui eorum leuent laborem, non minus, quàm si partito prouinciæ administrandæ onere princeps, quò unus destinabatur rector, plures præficiat; nemo ex his qui ad regendam partem prouinciæ destinatur, conqueri potest, quòd ei uniuersa prouincia commissa non

fuerit. Quemadmodum etiam nec diuisa diocesi, nouisq; erectis cathedralibus, quod sæpius fecit Ioannes XXII. & alii Pontifices fecere: aut cum cathedralis ecclesia in Metropolitañ. erigitur, ea a suo Metropolitano euulsa, aut collegiata in cathedralem, non est quòd summum incusent Pontificem, si quid pro subditorum commodo & necessitate Metropolitis aut Episcopis subtrahitur: cum subditorum maior habenda sit ratio, quàm præsidentium.

Nec propterea monasteria, aliaq; exempta collegia, censenda sunt acephala, quòd suis non subsint Episcopis: quæ detestatur Parisieñ. concilium de quo in c. Nulla. XCIIII. dist. cum dicitur: Nulla ratione clericos aut sacerdotes habendos, qui sub nullius Episcopi disciplina & prudentia gubernantur. Quoniam de uagabundis & proteruis clericis loquitur, ut colligitur ex eo quod sequitur: Qui suis Episcopis non obediunt, indubitanter reprobi & rei habentur: religiosi autem, qui suis subsunt prælatis, & qui immediate Rom. Pontifici subsunt, caput habent, & proprium prælatum Rom. Pontificem. c. Auctoritate. §. I. de priuil. li. VI. & not. glo. in Clem. I. de rebus ecclesiæ non alie. in uer. propriam. Quapropter ei soli, non autem ordinariis, fidelita-

tis & obedientiæ præstant iuramentum . c. dilecti de maio. & obe. c. Olim. el. 11 . de priuil .

Minus etiam detestandæ sunt Rom. Pontificis exemptiones : quòd etiam Imperiales leges statuere , iustis de causis superioris arbitrio examinandis eximendos quandoq; subditos a minorum magistratuum iurisdictione l. Officium Hellesponti . C. d. offi. proconf.l.1.§ . Dicimus. ff. de his qui sunt suæ uel alie.iurisd.per quem textum ibi dicit Bal.quòd nimia sæuitia superioris iusta est causa exemptionis. & Insti.eo.ti. §. Hoc tempore.uer.sed & maior .

DE SENTENTIA EX-COMMVNICATIONIS.



AVCTORITATEM ferendæ excommunicationis tradidit Dominus, Mat.XVIII.ubi post fraternam monitionem, si monitus non audierit, mandat eum denunciari ecclesiæ, & si ecclesiam non audierit, habendum pro ethnico & publicano.& ex eo quod subiicitur, Quæcunque alligaueritis super terram &c. Quod prius cap. XVI. dictum fuerat Petro. Plenius autem illam explicauit Paulus, primæ Cor.cap.I.dum Corinthium illum, qui, paterno uiolato toro, adhærebat nouercæ, sathanæ tradidit in interitum carnis, ut spiritus eius saluus fieret. & cap.V.cum dixit, Si is qui frater nominatur inter uos, est fornicator, & auarus, aut idolis seruiens, & maledictus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumite. & secundæ ad Thessalo.cap.III.Siquis non obedierit uerbo nostro per epistolam, hunc notate, & non communicetis cum eo. & primæ ad Timot.cap.I. Hoc præceptum commendo tibi Timothee, secũdum præcedentes in te pro-

phetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem bonam, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Himenæus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare. Et Io. epistola II. capit. primo: Siquis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum in domum, nec, Aue, ei dixeritis. qui enim dixerit illi, Aue, cõmunicat operibus illius malignis. ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini. Ex quibus satis constat nedum pro hæresi, sed & pro aliis excessibus, quem segregandum a participatione sacramentorum, quam minorem excommunicationem uocant c. Qui celebrat. de cleri. excom. minis & c. Elgedrudam. III. q. III. & a communione fidelium, quæ maior est excommunicatio. c. Nuper. de sent. excom.

At obiiciunt nonnulli: cum excommunicatione nulla maior sit pœna in ecclesia. c. Corripiantur XXIIII. q. III. & infligi non debeat pro leuibus culpis. XI. q. III. c Episcopi. c. Nemo Episcoporum. & c. Non afferamus XXIIII. q. I. in fi. cur ob causas prophanas, ob pecuniæ & turpis quæstus amorem plures excommunicantur? Sed respondemus, neminem propere aut

præpoſtere, nec ex leui cauſa, ſed præmonitum prius, à fidelium cœtu excludi. c. De illicita. XXIIII. q. III. c. Sacro. de ſent. excom. nec ex leui cauſa, ſed ex inobedientia, aut contumacia, quæ non leues ſunt culpæ, iuxta illud primi Reg. cap. XV. & habetur VIII. q. I. c. Sciendum: Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idolatriæ, non acquieſcere. & adeo deteſtanda erat in ueteri lege inobedientia (ut habetur Deutero. XVII.) quòd quicunque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice ſubiecta contemptum expiabat cruore: Quid ergo mirum? & habetur in c. Abſit. XI. q. III. ſi nunc inobediens, ſpirituali animaduerſione truncatus, aut eiectus ab eccleſia, rabido ore dæmonum decerpitur? uerba ſunt Anteri Papæ. Qua de re non ob pecuniæ & turpis lucri amorem quis a fidelium cœtu excluditur, ſed ob contumaciam & inobedientiam: quæ graues ſunt culpæ.

Obiiciunt alii: Inhibitum eſt fidelibus maledicere, ex eo quod habetur epiſtola Petri cap. I. Qui cum malediceretur, non maledicebat; & cum pateretur, non comminabatur. & c. III. Non reddentes malum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes:

quia in hoc uocati estis, ut benedictione hæreditatem possideatis. Et primæ ad Corin. cap. IIII. Maledicimur, & benedicimus. Cum itaque maledictio quædam & execratio sit, excommunicatio, non licebit quempiam excommunicare. Sed respondemus cum Aug. li. Nume. Apostolus, ne maledicta maledictis, & conuitia conuitiis prouocet, mandatum ponit, ut benedicamus, quo conuitiandi uitium resecetur, non quo iudicandi ueritas, quæ homines latet, ut pronunciandi auctoritas perimatur. Licebit ergo correctionis & iustitiæ causa quem excommunicare: licet ad uindictam inhibeatur. Constat etiam sæpius permissum maledicere, quin etiam præceptum, ut ex eo quod habetur Deutero. XXVII. ubi Moses quosdam constituit ad benedicendum, alios uero ad maledicendum. Et Act. XIII. Paulus intuens Elymam magum, dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omni iustitiæ, nõ desinis subuertere uias domini rectas. & ecce nunc manus domini super te: & eris cæcus, non uidens solem usque ad tempus. Et idem ca. XXIII. Ananiæ, qui mandauerat eum percuti, dixit, Paries dealbate &c. & psalmo CVIII. Sit domus eius deserta. & reliqua.

Nec propterea censenda ecclesia impia

mater, aut nouerca, quòd excommunicatos a fidelium ſeparet conſortio, eosq; omni nudatos auxilio quaſi hoſtibus exponat. Quoniam, utcunque poteſt, fidelium procurat ſalutem: primo per benignam cohortationem & monitionem: poſt, ſi negligatur, per aſperam correctionem. Ideo legi charitatis non repugnat, quòd excommunicatis eccleſiæ ſacramenta, ſuffragia, & fidelium communio ſubtrahantur. Quoniam hæc facit eccleſia, ut ignominia confuſus ad cor redeat, & pœnitens eccleſiæ reconcilietur: quo modo excommunicatio ſalubris redditur, & medicinalis.

Excommunicatos autem nedum euitandos, ſed fugiendos, docuit Ioannes euangeliſta: de quo narrat eius auditor uir ſanctiſſimus Polycarpus Smyrnæorum Epiſcopus, quòd cum apud Epheſum lauandi gratia balneum ingreſſus fuiſſet, & uidiſſet ibi Cherintum, continuo diſceſsit non lotus, dicens, Fugiamus hinc, ne & balneæ ipſæ nos corrumpant, in quibus Cherintus lauatur, inimicus ueritatis. Quin & ipſe Polycarpus Martioni dicenti, Agnoſce nos; reſpondit, Agnoſco primogenitum ſathanæ. Refert Beda ſuper Io. epiſtolam. & habetur in c. Omnes. XXIIII. q. I.

DE

DE INTERDICTO ECCLESIASTICO.



NIVS sceleris pœnam ad alios quandoque transferri, constat ex eo, quod habetur III. Reg. XXI. Vnum enim scelus & Achab & Iesabel commiserant: sed tamen conuerso Achab ad pœnitentiam, pœna differtur in posteros: & Iesabel in scelere perseuerans, præsenti condemnatur iudicio. Et habetur de pœni. di. III. c. Achab. Sicut & Nume. XXV. uno peccante, uenit ira dei super omnem populum. Et Iosue XVII. & habetur XLV. di. c. Sed illud. & XXIII. q. IIII. c. Si ea; inquit Augustinus: Nonne Achor, filius Zaræ, præteriit mandatum domini, & super omnem populũ Israel ira eius incubuit? & ille erat unus homo: atque utinam solus periisset in scelere suo. Ambrosius etiam super Marcum, & habetur in c. Non turbatur. XXIIII. q. I. inquit: Qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. imo etiã corporaliter filius pro patre punitur, ut deducitur ex uerbis euangelii, quãdo Apostoli de cęco nato dominum interrogarunt, Rabi quis pec-

cauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasce retur? in quibus etiam completur quod dominus ait ad Moysem, Ego sum Deus zelotes, uisitans peccata parentum in filios usq; ad tertiam & quartam generationem. licet æterna pœna alius pro alio minime puniatur. Quo modo intelligendum est illud, quod dominus ait per Ezechielem: cap. XVIII. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit: & impietas impii super eum: & habetur XXIIII. q. III. §. His ita. Et illud ad Gal. cap. VI. Vnus quisque onus suum portabit. Proinde quod ad interdicti censuram attinet, licet pro unius delicto etiam non cooperanti & non consentienti pœna inferatur, id tamen non sine causa fit, Multi enim plectuntur sine culpa, licet non sine causa. Quemadmodum bigami, corpore uitiati, & alii plures, arcentur a sacris ordinibus sine culpa, sed non sine causa. c. Qui in aliquo. LI. dist. Causa autem, cur alii innoxii ex interdicto sacris priuentur, & ut excommunicatum uel eiiciant, uel ante eum insurgentes ad parendum compellant. quod si facere neglexerint, nec ipsi culpa carebunt.

DE OBSERVATIONE DIERVM FESTORVM.



PRAECEPTVM diuinum obſeruationis diei feſti nõ tantum ceremoniale fuit, in ſignum creationis mundi (ſic enim abolitum foret) ſed etiã morale, prout ſignificat ceſſationem ab omni peccato, & quietem mẽtis in Deum. Qui enim diem feſtum, ut ceremoniale præceptum, & a lege Moſaica promulgatum obſeruaret, immunis non foret a peccato, & iudaizare cenſeretur. c. Peruenit. de conſe.di.III.obſeruantiæ autem ſabbati in noua lege ſucceſsit dominici diei obſeruatio, ex eccleſiæ conſtitutione, & populi conſuetudine c. I. de conſe.di.III. Et quia hæc obſeruatio figuralis non eſt, quemadmodum erat illa diei ſabbati, ideo non tam arcta & ſeuera eſt prohibitio operandi dominico die, qualis erat illa diei ſabbati, in quo ciborum decoctiones & alia huiuſmodi prohibebantur: faciliusq; in noua lege ſuper hoc præcepto diſpenſetur, quàm in ueteri lege, quòd figura ad proteſtationem ueritatis pertineat, quam nec in modico præterire oporteat. opera autem

pro loco & tempore immutentur: ut recte censuit sanctus Thomas secunda secundę q. CXXII.

Et licet festiuis diebus a seruili opere cessandum sit, non tamen ab his operibus, quæ ad dei seruitium pertinent. Ideo dicitur Io. VII. Circuncisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Moysi. Et Mat. XII. dicitur. sacerdotes in templo sabbatum uiolant, cum scilicet sacrificant, & sine crimine sunt. Sicut & sacerdotes ferentes arcam domini circum Hierico septem diebus. Vnde & die sabbati Iosue VI. non transgrediebantur præceptum de sanctificatione sabbati. Idem de spiritualibus actibus, qui festum diem non uiolant. Vnde Nume. XXVIII. dicit glo. quòd fabri & artifices ociantur die sabbati: lector autem diuinæ legis, & doctor, ab opere suo non desinit. & tamen non contaminatur sabbatum. Quin imo diebus festis tenetur quis nedum sibi prouidere, sed & proximo, in his præcipue, quæ ad salutem corporis pertinent, iuxta illud prouer. XXVII. Non uidebis ouem & bouem fratris tui errantem, & præteribis, redimes fratri tuo: ac multo magis pro salute sua. sicut Machabæi non uiolarunt sabbatum pugnantes eo die: primi Machab. cap. II. Nec Helias fugiens a facie Iesa-

bel in die ſabbati. Propter quod etiam dominus excuſauit diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas, & manibus fricabant, neceſsitate adducti. & Io. VI. dixit dominus: Mihi indignamini, quia totum hominem ſaluum feci in ſabbato. & Mat. XII. Quis ex uobis habet unam ouem, & ſi ceciderit in foueam die ſabbati, nonne tenebit & leuabit eam? Propterea non prohibuerunt ſacri canones, ſi aqua pluuia aut immodico æſtu fruges periclitentur, quin in area aut ſub tecto conferri poſsint. Qui nedum pro uitando damno id permiſere, ſed etiam pro captando lucro c. Licet. de feriis. ubi diebus feſtis preterquam in maioribus anni ſolennitatibus ſi aleciæ terræ ſe inclinauerint, eorum captioni ingruente neceſsitate intendere licet, ne labatur occaſio eas capiendi.

AN ELECTVS, ET CONSECRATVS A SCHISmaticis, sit uere Episcopus.



T exponamus, an schismaticus electus in Episcopum ab electoribus schismaticis, nulla habita confirmatione a sede Apostolica, & qui a Metropolita schismatico manus consecrationis accepit, sit Episcopus, & ordinati ab eo receperint ordines; in primis præmittendum est, apud hæreticos & schismaticos esse sacramenta: quod docuit Augustinus libro III. de baptismo, contra Donati. his uerbis: Non interest, cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis uiam, sed ad sacramenti rationem nihil interest. Fieri enim potest, ut integrum homo habeat sacramentum, & peruersam fidem. & contra Cresconium, libro septimo, inquit: Christiana ecclesia caretis, christianam charitatem non habetis: christiana sane in uobis sacramenta agnosco. Idem astipulatur ad Parmenia. de hæreticis & damnatis, cum

dixit: Quod quidam dicunt, Baptiſma quod accipit, non amittit qui recedit ab eccleſia: ius tamen dandi, quod accepit, amittit; multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. primo, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille, qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſsit. utrunque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrunque homini datur, iſtud cum baptizatur, illud cum ordinatur. & habetur in c. Quod quidam I. q. I.
Propterea Pelagius in c. Oſtenditur. de conſe. di. IIII. dixit: Sicut baptizatus ſi ab unitate eccleſiæ recedit, ſacramentum baptiſmi non amittit: ſic & ordinatus ſi ab unitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit. nulli enim ſacramento iniuria eſt facienda.

Hinc ſanctus Bonauentura ſecutus ſanctum Thomam in IIII. ſent. di. XXV. inquit: Quæſtio, an Epiſcopus hæreticus poſſit dare ordines, aliquando fuit multum dubia apud hæreticos. tamen per illuſtriſsimum doctorem Auguſtinum aperte eſt nobis hæc queſtio patefacta, quòd ſacramenta eccleſiaſtica apud hæreticos, qui formam eccleſiæ ſeruant, & intentionem habent faciendi quod facit eccleſia, ſunt quantum ad ueritatem: quamuis non ſint quantum ad

utilitatem : quia ſacramenta diſpenſant, ſed tamen fructum ſacramentorum non reportant, pro eo quod ſpiritus ſanctus non confert gratiam extra catholicam eccleſiam. Et ideo in omnibus ſacramentis, quæ habent ueritatem differentem ab utilitate, generaliter uerum eſt, quòd apud hæreticos poſſunt eſſe. Omnia autem ſacramenta ſunt talia, præter ſacramentum pœnitentiæ, cuius uis eſt interior contritio : ſine qua nulla eſt uera abſolutio, etiam cum qua nulla abſolutio eſt uana, uel inutilis. Ideo omnia poſſunt diſpenſare, & diſpenſant ueraciter, præter ſolam abſolutionem pœnitentiæ. Ideo nulla iterantur, præter illam, niſi forte unctio extrema. & ſic cum ordo habeat caracterem, qui præter ſpiritus ſancti gratiam, qua peccata delentur, exiſtit; dicendum eſt, quòd per eos poſſunt ueraciter diſpenſari. Quod plenius explicans ſubdit, quòd quadruplex poteſtas reperitur in eccleſiæ miniſtris. quædam enim eſt fundata ſuper ordinem principaliter, ut poteſtas conficiendi : quædam ſuper iuriſdictionem canonicam principaliter, ut poteſtas excommunicādi : quædam ſuper ordinem & eminentiam, ut poteſtas ordinandi : quædam ſuper ordinem & iuriſdictionem, ut poteſtas abſoluendi uel ligandi in foro pœnitentiali. &

quoniam caracter auferri non potest, ideo potestas quæ consequitur caracterem, de facto auferri non potest. Et quia iurisdictio descendit ordinate a superiori ad inferius, ita quòd plenitudo est in summo Pontifice, ideo potest eam auferre, & potestatem, quæ eam consequitur minuere: unde potest excommunicando auferre potestatem absoluendi, & excommunicandi, sed non ordinandi.

His consentit glo. in summa. IX. q. I. cum inquit: Siue quis recipiat ultimam manus impositionem in ecclesia, siue extra, modo forma ecclesiæ seruetur in ordinando, semper ordo confertur: citat c. Conueniētibus I. q. VII. ubi quarta synodus sine noua ordinatione recepit in ordinem Episcoporū Anatolium a Dioscoro hæretico ordinatum. & c. Ordinationes. IX. q. I. ubi ab Vrbano II. decretum fuit, quòd qui ab Episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in schismate a Rom. ecclesia separatis, consecrati sunt, eos, cum ad ecclesiæ unitatem redierint, seruatis propriis ordinibus misericorditer suscipiendos. his concordat c. Secundum XIX. di.

Præterea si degradatus sacerdos conficere potest sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ut docuit sanctus Thom. III. par-

te summæ q. LXXXII. ar. VIII. quoniam conficiendi potestas ad caracterem pertinet (qui indelebilis est, nec auferri potest. quemadmodum aliarum rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec reiterari possunt) eadem ratione schismaticus, aut hæreticus retinens caracterem, ordines conferre poterit. Ideo dixit Augustinus in II. ad Parmenia. Vtrunque baptismus & ordo sacramentum, & quadam consecratione dantur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideo neutrum licet reiterari. cui etiam astipulatur spec. ti. de dispen. §. Nunc de Episcoporum uer. LXV.

Nec his repugnat, quòd in Constantinopolitano concilio statutum fuerit, ne Maximus, qui ordinatus fuerat ab hæreticis, reputaretur Episcopus: neque hi, qui ab eo fuerant ordinati, qualemcunque gradum clericatus obtinerent, omnibus scilicet, quæ circa eum uel ab eo gesta sunt, in irritum reuocatis. & habetur in c. Propter. XIX. di. Quoniam id intelligi debet, uel quòd Maximus ordinatus fuerat, non seruata ecclesiæ forma: quo casu cum ipse ordine caruerit Episcopali, ab eo ordinati ordines non receperunt, propterea ordinandi: uel odinatus fuerat seruata ecclesię forma, sed suis demeritis suspensus uel priuatus: quo casu interpretari po-

test, quòd non erat Episcopus, scilicet merito carens ordinis executione: quod & de ordinatis ab eo censendum fuerat; ueruntamen caracterem & ordinem susceperunt. Hæc Turrecre.in.d.c.Propter.

Et secundum hæc interpretandum est illud Augustini, de quo in c. Extra.I. quæst. I. quòd extra ecclesiam catholicam non est locus ueri sacrificii. & illud Vrbani II. de quo in c. Diabertum. I.q. VII. quòd Nezelon hæreticus, quem constabat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit: quia scilicet ordinatus non fuerat secundum formam ecclesiæ.

Minus etiam obstat quod dixit D. Gregorius, & habetur in c. I.IX. q. I. Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est illicite celebrata. Quoniam ex sententia Cardinalis Alexandriñ. in expositione d.c. si Episcopus excommunicatus nõ posset ueros ordines conferre; uel hoc esset, quia foret priuatus potestate & executione, uel etiam facti, non solum iuris: quod dici non potest, quia quæ dantur per consecrationem, semper manent manente re consecrata. Sed potestas conferendi ordines datur Episcopo in sua consecratione. ergo semper manet, nec amitti potest.c. Quod quidam. I. q. I. Item

nec priuatur executione facti, quia executio facti correſpondet poteſtati, quia poteſtas eſt, per quam poſſumus. Executio autem iuris ultra poteſtatem requirit licitum uſum, cum per excommunicationem uel degradationem non priuetur Epiſcopus poteſtate conferendi ordines: nec priuatur executione facti, quin ueros ordines conferat. eſt tamen priuatus executione iuris, quia illicite confert ad ſui damnationem. Ideo dixit Gregorius eam nullo modo dici poſſe conſecrationem.

Quòd ſi obiiciatur: In nulla communitate, qui ab ea repellitur, illius officia exercere poteſt. igitur hæretici, qui extra eccleſiam ſunt, ordines conferre non poterunt, qui eccleſiæ ſunt officia. Reſpondetur, quòd ſicut non omnino hæretici extra eccleſiam ſunt, cum retineant ſacramentum baptiſmi, ſic non excluduntur ab eccleſia, quoad hoc: ſed ſicut carent gratia, nec illam dare poſſunt, in quo exercere non poſſunt eccleſiæ officia.

Similiter reſponderi poteſt, ſi dicatur: In ordinis collatione benedictio exigitur, quam dare non poteſt hæreticus, cuius benedictio in maledictionem uertitur, quòd ſcilicet eius benedictio effectu caret, & propterea inanis dici poteſt, & in maledictio-

nem uerti: nec mirum si ab eo ordinati dicuntur caput habere uulneratum: & qui nihil habuit, nihil dare potuisse. & quo ad hæc, consentiendum Cypriano, cum dixit, Quæcunque faciunt hæretici, carnalia, inania, & sacrilega esse eorum altaria, falsa & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega. qui more simiarum, quæ cum homines non sint, formam imitantur, uultum ecclesiæ catholicæ & auctoritatem sibi uendicant, cum ipsi in ecclesia non sint. non tamen ei assentiendum, in quantum ea ratione uoluit rebaptizandos, qui ab hæreticis baptisma suscepere. Id enim improbauit subsequens Africana synodus.

Si uero ulterius obiiciatur: Sacramenta habent efficaciam ex passione Christi: hæreticus autem non continuatur passioni Christi, neque per propriam fidem, cum sit infidelis, neque per fidem ecclesiæ, cum sit ab ea separatus. ergo non poterit sacramenta ordinis conferre. Respondetur, quòd hæretici non omnino sunt extra ecclesiam, nec excluduntur, quin continuentur passioni Christi, quia sunt in ecclesia ratione sacramenti baptismi, quod retinent, & ratione formæ ecclesiæ, quam seruant, & qua continuari censentur passioni Christi. & his sublata est ratio africani concilii illius, quod

hoc decreuit. ideo rebaptizandos ab hæreticis ordinatos, quòd cum unum ſit baptiſma in eccleſia, Ephe. IIII. & extra eccleſiam nullum ſit baptiſma, hæreticorum etiam nullum ſit baptiſma.

Sed alia eiuſdem concilii, & Cypriani ratio urget, cum dominus in euangelio dixerit, Mat. v. Vos eſtis ſal terræ: ſi autem ſal infatuatus fuerit, ad nihilum ualebit, niſi ut proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. & Mat. XXVIII. mandauerit diſcipulis ſuis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ite ergo, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Cum ergo manifeſtum eſt, hæreticos non integram ſacramenti confeſsionem habere, nec poſſe condire ſapientia ſpirituali, cum ipſi ab eccleſia, quæ una eſt, recedendo infatuati, contrarii facti ſunt, ad nihilum ualebunt eorum ſacramenta, niſi ut reiiciantur, & conculcentur. Item habetur Io. III. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. hic eſt ſpiritus, qui ab initio ferebatur ſuper aquas. Neque enim ſpiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine ſpiritu. Si hæretici non tribuunt effectum ſacramenti, & ſpiritum ſanctum, cum utrunque requiri uideatur, non

ad

uidentur dare ſacramentum. Sed reſponderi poteſt, quòd quia Chriſtus eſt qui baptizat, Chriſtus eſt qui ſacramenta & eorum gratiam tribuit, non coinquinantur ſacramenta malitia tribuentis. Ideo qui ignorantes miniſtri malitiam, aut ſcientes ex neceſsitate ab hæreticis baptizantur, baptizati cenſentur ex aqua & ſpiritu ſancto: quòd ſi ſuſcipiens particeps ſit erroris, recipit quidem ſacramentum, ſed non ſacramenti effectum: nec ad ſuſceptionem baptiſmi neceſſe eſt, quòd ſuſcipiat ſpiritum ſanctum: licet ſaluator dixerit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non ingredietur in regnum cœlorum: ſed ad hoc, ut effectum & gratiam baptiſmi ſuſcipiat, quam ſine noua aquæ ablutione recipiet, ſi eccleſiæ reconciliatus errorem abiecerit.

Secundo præmittitur, quòd ſi electi confirmatio nulla fuerit, a carente poteſtate confirmandi facta, & huiuſmodi confirmationis uigore conſecratus fuerit in Epiſcopum, is nequaquam de nouo conſecrabitur, cum caracter impreſſus ſit animæ, ad inſtar Epiſcopi ordinantis. glo. not. in c. Prouida. de elect. li. VI. quòd etſi in ea decretali habeatur, quòd conſecrationes huiuſmodi nullius prorſus ſint firmitatis; intelligendum eſt conſecrationem fore nullius firmitatis, quo-

ad executionem, ut interpretata eſt glo. & alia glo. in c. 1. 1 X. q. 1. & quemadmodum ex ſententia Auguſtini habetur in c. Sicut eunuchus. 1. q. 1. cum dicitur: Sacramenta ſimoniacorum, ſicut & cæterorum hæreticorum, licet ſint uera, quantum ad formam, inania tamen & falſa ſunt quantum ad effectum, cum non poſsint in cordibus hominum gignere uel accendere cœleſtem gratiam.

Tertio præmittitur, confirmationem electi in Epiſcopum per Apoſtolicam ſedem, non eſſe de forma ordinis Epiſcopalis, adeo quòd Epiſcopus non ſit, qui ea careat: quoniam non eſſent Epiſcopi in orientali eccleſia, non agnoſcentes ſuperioritatem Apoſtolicę ſedis; nec fuiſſent Epiſcopi, qui confirmationem conſequebãtur a ſuis Metropolitanis & Patriarchis, etiam agnoſcentibus ſuperioritatem Apoſtolicæ ſedis, quòd eius mandatis parerent: prout aliàs pluribus diſſeruimus.

Quod plane confirmatur a Clem. v. in decretali In pleriſque. de elect. edita in concilio Vienneñ. qua decernitur, quòd nemo quantacunque præfulgeat dignitate, niſi ſpeciali ſuper hoc auctoritate ſedis Apoſtolicæ fulciatur, de paſtore prouideat cathedrali eccleſię ſibi qualitercunque ſubiectæ, quæ cle-

ro careat & ſubditis Chriſtianis. Quod indicat, illud licere habentibus clerum & populum Chriſtianum, ſi id ex priuilegio aut conſuetudine habeat: ſi tamen quis de facto aſſumeretur & conſecraretur, uerus eſſet Epiſcopus. Et quod dixit prædicta decretalis, quòd is qui ſe fecerit aut permiſerit conſecrari, in Epiſcopali nullatenus recipiatur honore, expoſuit glo. quòd non admittetur quoad executionem pontificalis officii, nec permittetur pôtificalibus inſigniis uti. quòd autem inferiores Roma. Pontifice prouideant cathedralibus eccleſiis de Epiſcopis, & illis ſine confirmatione ſedis Apoſtolicæ munus conſecrationis impartiantur, exemplum habemus etiam in occidentali eccleſia de Saltzburgeñ. Archiepiſcopo, qui prouidet de Gurgeñ. Segobieñ. & duabus aliis eccleſiis, quarum Epiſcopi conſecrantur nulla Apoſtolicæ ſedis confirmatione præcedente, minuſq; ſubſequente.

Ex his corelarie ſubſequitur, a ſchiſmaticis electum, a Metropolitano etiam ſchiſmatico confirmatum, & ſine ulla ſedis Apoſtolicæ confirmatione conſecratum, quin potius expreſsis uerbis illam negantem & abiurantem, eſſe uere Epiſcopum, & uere ſacerdotes ab eo promotos, quòd caracterem indelebilem ſuſceperit, & aliis impreſ-

ſerit, & ſi fructu & executione ordinum careant, & pro eorum uſu abſolutione & diſpenſatione egeant, quæ an impartiri debeat, & quonam modo plenius aliàs diſſeruimus.

Sed non paruam affert difficultatem, ſi, ſecundum communem theologorum ſententiam, Epiſcopatus non eſt ordo, cum nullum proprium habeat miniſterium circa confectionem ueri corporis Chriſti, licet habeat circa corpus Chriſti myſticum: propterea cum nullum caracterem imprimat, uidetur quòd amitti & reiterari poterit, quòd quædam ſit dignitas & iuriſdictio, quemadmodum abſoluendi a peccatis & excommunicandi auctoritas, quæ amitti poteſt, cum excommunicatus alium excommunicare nô ualeat, ut reſcripſit Alex. II. Valeriano Epiſcopo & martyri, & habetur in c. Audiuimus. XXIIII. q.I. ſed reſpondetur, quòd etiam poſito, Epiſcopatum non eſſe ordinem, Epiſcopatus tamen adeo habet annexum ſacerdotalem ordinem, ut pontificale officium adimpleri nequeat abſque altaris miniſterio. c. Ex literis. de exceſ. præla. uſque adeo quòd ſi non ſacerdos conſecretur in Epiſcopum, non erit Epiſcopus; & ratione ordinis neceſſario annexi, habere dicitur caracterem indelebilem, qui amitti non po-

test. quemadmodum sacerdotalis caracter, qui eum necessario concomitatur. Hinc est, quòd Episcopus confirmatus ante consecrationem exercere non potest ea, quæ ordinis dicuntur Episcopalis, scilicet ordinare clericos, chrismare, deponere, benedicere uirgines, consecrare ecclesiam & altaria: quæ proueniunt ex consecratione, secundum glo. in c. Ex transmissa. & in c. Sicut. §. Præterea. de elect. c. Inter corporalia. de translat.

His astipulatur D. Bonauentura in IIII. sent. di. XXIIII. ar. III. cum dixit: Cum ordinis potestas principaliter sit ordinata ad dispensationem sacramentorum, & maxime illius sacramenti nobilissimi, scilicet corporis domini, quia ibi est status graduum, & ordinum ascendentium: & ita ultra sacerdotium non est gradus ordinis, sed tantum intra hunc gradum & ordinem contingit esse distinctionem dignitatum & officiorum: qui tamen non addunt ordinem nec gradum nouum, sed solum dignitatem & officium: sed Episcopatus prout concernit ordinem sacerdotii, bene potest dici ordo: sed prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quandam uel officium ipsi annexum: & non est proprie nomen ordinis, nec noua potestas datur, sed data ampliatur.

Vnde ſicut non recipit nouas claues, ſic nec alium ordinem. Et hoc refert ſenſiſſe Vgonem, magiſtrum ſent. & alios plures, quòd ſcilicet non ſunt nomina ordinum, ſed dignitatum. quam dicit eſſe communem opinionem.

Nobis tamen magis applaudit Canoniſtarum opinio, quòd Epiſcopatus ordo ſit a ſacerdotio diſtinctus, hac ratione (ut alias omittamus) quoniam uidetur dici ordo diſtinctus, quando habet diſiunctum miniſterium circa diuinum cultum altaris, etiam ſi non immediate circa confectionem euchariſtiæ, & tamen ſunt ordines diſtincti, ut not. in c. Perlectis. di. XXV. Hæc Alexandrin. in c. Decretis. XXI. di. Proinde quis negabit, quin plus conferat Epiſcopus ordines conferendo, & plus coadiuuet, quoad miniſterium euchariſtiæ, habilitando miniſtros per ordinationem, uel perfectiores reddendo in ſacramentis eccleſiæ per confirmationem ſingulos fideles, qui habent ſuſcipere euchariſtiæ ſacramentum, quàm operetur lector cathecumenos inſtruendo, uel oſtiarius infideles arcendo ab eccleſia?

Nec his quæ prius diximus obſtat, quòd Rom. Pontifex huiuſmodi ſchiſmaticos ad Epiſcopatum inhabilitauerit, quod uidetur potuiſſe: quemadmodum eccleſia plures in-

habilitauit ad matrimonium, uſque adeo quòd ſicut Deus non coniungit eos, qui iunguntur contra præceptum diuinum, ſic nec iniungit illos qui inunguntur contra eccleſiæ præceptum. aliàs nullus gradus ab eccleſia prohibitus dirimeret matrimonium contractum, etſi præpediret contrahendum. Quoniam infirma eſt hæc ratiocinanatio, quòd locus ſit de minori ad maius. minus enim eſt inhabilitare quempiam ad matrimonium, quod nullum habet caractere rem, & reiterabile eſt, quàm inhabilitare ad Epiſcopatum, quod ſaltem ratione annexi ſacerdotii habet caracterem, & dignius eſt ſacramentum: & ſi id ſubſequeretur, etiam eadem ratione poſſet eccleſia inhabilitare ad baptiſma: quod nullus uel ſtupidi ingenii fateretur.

Cauſam autem diuerſitatis poſuit ſanctus Thomas in IIII ſent. di. XXXIIII. ar. I. cum dixit: Perſonæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quòd ſunt contra legem, qua matrimonium conſtituitur: matrimonium autem, inquantum eſt officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ: inquantum eſt ſacramentum, ſtatuitur lege diuina: inquantum eſt officium communitatis, ſtatuitur lege ciuili. Et ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona

effici ad matrimonium illegitima. Nec est si mile de aliis sacramentis, quæ sunt sacramen ta tantum. Et quia lex naturalis secundum di uersos status recipit determinationes diuersas: & ius positiuum etiam uariatur secundum diuersas hominum cõstitutiones, ideo in diuersis temporibus diuersæ personæ factæ fuerunt illegitimæ.

Superest non minor difficultas, quòd cũ in dubio quis potius præsumatur non ordinatus, quàm ordinatus c. Presbyteri. LXVIII. dist. qualis est ordinatus ab eo, de quo est dubium, an sit Episcopus: & in dubio præsumatur quis potius non baptizatus, quàm baptizatus c. Paruulos. de consec. di. IIII. & in dubio præsumatur ecclesia non consecrata c. Solennitates de consec. di. I. eodem modo, cum dubium sit, an electus & consecratus a schismaticis, Episcopus sit uel non, & ordinati ab eo in sacerdotes, sint sacerdotes; præsumere debemus non ordinatos, sed ordinandos.

Sed Respondetur, id uerum, quando est dubium facti, non iuris. cum autem est dubium iuris, sequi debemus communiorem opinionem, qualis est B. Thomæ, & aliorum, qui eum sequuntur. At casu nostro non est dubium facti, quia præsupponitur Episcopum, licet schismaticum, ele-

ctum a schismaticis sine auctoritate sedis Apostolicæ, imo eam expresse abiurando, fuisse seruata ecclesiæ forma a suo Metropolitano & duobus Episcopis consecratum: quo casu censendum est, sacerdotem ab eo ordinatum, non reordinandum: sed solum egere absolutione a censuris propterea incursis, & rehabilitatione, cum suspensus sit, & careat executione ordinis suscepti.

AN ROM. PONTIFEX POSSIT DIRIMERE matrimonium contractum ab hæreticis.



PRo responsione ad quæsitum, An summus Pontifex posſit dissoluere matrimonium inter hæreticos, uno ad catholicam fidem reuerso, altero uerò in hæresi persistente; præmittendum duxi, posse summum Pontificem dissoluere matrimonium contractum per uerba de præsenti, non autem carnali commixtione consumatum: cuius differentiæ plures sunt causæ.

Prima, quia ante carnalem commixtionem solum adest spirituale uinculum: & quemadmodum per interitum carnis soluitur matrimonium consummatum, ita per religionis ingressum, qui mors est spiritualis, dissoluitur matrimonium non consummatum. c. Ex parte tua. de conuer.coniug.not. Turrecrem. in c. Sunt qui dicunt. XXVII. q. II.

Secunda, quoniam matrimonium non consummatum ex constitutione ecclesiæ ro

bur suscipit. quod enim conceptis uerbis præsentis uel futuri temporis fiat matrimonium aut sponsalia, ecclesiæ est constitutio, quam potest summus Pontifex tollere: cum etiam sine uerborum expreßione contrahatur, ut de mutis admittit ecclesia. c. Cum apud. de sponsa. & de sponsalibus, quæ in matrimonium transeunt per carnalem copulam, sine ulla præsentis temporis uerborum prolatione. c. Veniens. de sponsa. At consummatum robur suscipit diuina constitutione, cum dixit dominus, Quos Deus coniunxit, homo non separet. et, Erunt duo in carne una. Quod non fit nisi per carnalem copulam. ut per glo. & doct. in c. Ex publico. de conuer. coniug. quod in tantum asseruit Ostien. ut etiam censuerit posse Pontificem, ex utriusque coniugum consensu, ex absoluta potestate dirimere matrimonium contractum uerbis de præsenti, non tamen nisi ex causa.

Tertia ratio aßignatur, quod per matrimonium consummatũ repræsentatur unio, quæ est inter Christum & ecclesiam, inter diuinitatem & humanitatem, quæ indißolubiles sunt. at non consummatum designat unionem animæ fidelis cum Deo, quæ dissolubilis est per peccatum, quo quis a Deo recedit. c. ut debitum. de biga. Repræsentari

autem per matrimonium corporum commi xtione consummatum, unionem, quæ est inter Christum & ecclesiam per incarnationis mysterium; deducitur ab Innoc. I I I. in eo canone, ex eo quòd Paulus exponens illud, quod dixit protoplastes: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem & matrē, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una; statim subiungit: Hoc autem dico, magnum sacramentum, in Christo & ecclesia. nec dicit ante commixtionem, quòd essent duo in carne una, sed erunt duo &c. & designans repræsentationem, subiicit: Hoc autem dico, magnum sacramentum, in Christo & ecclesia.

Secundo præmittendum est, inter infideles esse uerum & legitimum matrimonium, non tamen perfectum & indissolubile. Quod deducitur ex eo, quòd Apostolus primæ Corin. V I I. consilium dedit, quòd siquis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentiat habitare cum eo, non dimittat illam: quę si non fuisset uxor, permisisset fornicationem.

Comprobatur ex eo, quòd dominus, cum interrogaretur à Iudæis, an liceret dimittere uxorem suam, atque exponere fieri non debere; addidit: Quod Deus cōiunxit,

homo non separet. quod dicens Iudæis, qui nondum fidem ipsius mediatoris acceperat, designauit inter eos esse uerũ matrimonium.

Quòd si obieceris, Si Deus eos coniunxit, & homo separare non debet, erit igitur inter eos nedum legitimum, sed perfectum & indissolubile coniugium. Respondemus: erat quidem dissolubile ante legem gratiæ, indissolubile post, propter sacramentum additum, quod si in utroque non adsit, redditur indissolubile: propter quod sacramentum nec ex causa fornicationis licet eam dimittere, ut desinat esse uxor: licet tempore legis permitteretur libellus repudii etiam quoad uinculum, quod dissolui credebatur Deo permittẽte ob duritiem cordis eorum, non autem ab homine: tempore uero gratiæ ob sacramentum additum non fuit permissum, licet quoad mutuam cohabitationem dirimi posśint.

Deducitur etiam inter infideles esse uerum matrimonium ex eo, quòd si infidelis secundum ritum suum legitimam repudiauit uxorem, ea uiuente non potest aliam habere, nisi post illius conuersionem illa renuerit cohabitare: aut si consenserit, non absque contumelia creatoris, uel ut eam pertrahat ad peccatum: & si in infidelitate repudiata uxor conuertatur ad fidem, antequam

ille legitimam ducat uxorem, recipere compellctur. c. Gaudemus. de diuort. quod non esset, nisi foret uera uxor.

Tertio præmittendum, ante legem scriptam licuisse fideli cõiugi accipere infidelem, quòd id nulla lege prohiberetur. Proinde Ioseph contraxit cum Aegyptia: Genes. IIII. & Moyses cum Aethiopissa: Nume. XII. at tempore legis scriptæ fuit uetitum filiis Israel, cum Cananeis, maxime obstinatis & auersis a Deo, inire coniugia. & generaliter cum adesset timor præuaricationis populi. Et propterea Exo. XXIIII. mandatum populo Israelitico, ne acciperent uxores de filiabus alienigenarum, filiis suis, ne traducerent eos post Deos suos. iuxta quod Esdras separauit connubia cum alienigenis: Esdræ X. quandoque tamen permissum, cum scilicet abesset præuaricationis periculum. Vnde Ester nupsit Assuero: Hester II. & dictum Deutero. XXI. Si egressus ad pugnam uideris mulierem pulchram in medio captiuorum, & amaueris eam, introeas ad eam, dormiesq; cum ea, & erit tibi uxor.

Tempore autem gratiæ nullatenus licet alicui fideli contrahere cum infideli, iuxta illud Aug. ad Pollentium. & habetur in c. Sic enim. XXVIII. q. I. Ne nubat fœmina nisi suæ religionis uiro, uel ne uir talem

ducat uxorem. Id enim iubet dominus, docet Apoſtolus, utrunque præcipit teſtamentum. & illud Ambro. libro de patriarchis & habetur in c. Caue. XXIII. q. I. Caue Chriſtiane gentilem, uel Iudæam, uel alienigenam, *ideſt* hæreticam, & omnem alienam a fide tua, uxorem accerſas tibi. Quapropter ſtatuit concilium Toletañ. IIII. & habetur in. c. Iudæi ea. ca. & q. quòd ſi Iudæus, cuius uxor facta eſt Chriſtiana, acceſſerit ad fidem, ſeparentur. Sed hæſitabit aliquis: quoniam hoc decretum aduerſari uidetur Paulo, qui dat conſilium, ne dimittat. Reſpondet Vgo, quem ſequitur Turrecre. dictum Apoſtoli intelligi de gentili infideli, non autem Iudæo. quod non multum applaudit: quoniam ratio a Paulo data utrobiq; militat, cum dixit: Sanctificata eſt enim uxor infidelis per uirum fidelem. & ex poſt: Vnde enim ſcis mulier, ſi uirum ſaluum facies? quapropter melius reſponderi poſſet, decretum Toletañ. intelligendum iuxta interpretationem Apoſtoli, cum ſcilicet non uult infidelis cohabitare ſine contumelia creatoris. uel intelligendum dictum Pauli de matrimonio inter gentiles ſeu Hebræos, & fideles, in exordio naſcentis eccleſiæ: quo tempore, ne amore coniugum retraherentur qui uellent fi-

dem suscipere, permissum est cohabitare cum infideli. Et consilium Apostoli expediens fuerat tempori, & infantiæ ecclesiæ: nec mirum pro qualitate temporum ecclesiam quandoque uariare. Quemadmodum Apostoli, etsi mandatum fuerit a domino, ut baptizarent in nomine patris & filii & spiritus sancti, baptizabant tamen in nomine domini Iesu, ut amabile & gloriosum redderetur nomen Iesu. At cum creuisset numerus fidelium, & iam ubique esset gloriosum & amabile nomen Iesu, reassumpsit ecclesia formã baptizandi a domino traditam, usque adeo quòd amplius non liceat baptizare in nomine Iesu. & multi sint in hac sententia, quòd siquis his uerbis baptizaretur, Baptizo te in nomine Iesu, non esset baptizatus.

Siquis autem dubitauerit, quare Apostolus suadet matrimonium inter infideles contractum minime dirimendum fore, si uelint sine creatoris contumelia cohabitare, propter spem illam conuersionis infidelis, non licet ob eandem causam fideli uxorem ducere infidelem, ut eam pertrahat ad fidem. Respondet Io. Scotus, qui merito doctoris subtilis agnomen sortitus est in IIII. di. XXXIX. ar. II. quòd non adest eo casu spes futuræ conuersionis. quoniam (ut il-

lius uerba referamus) multum amans coniugium multa & magna faceret, ut illud attingeret, quæ non esset facturus eo adepto. Et ideo si iste non uult conuerti, dum ardet desiderio coniugii, non est probabile, quòd ista postea lucretur, sed magis e conuerso, quia illa uidetur abducere istum. & ideo cessat ratio tantæ familiaritatis ad infidelem, & manet ratio fugiendi illam familiaritatem. quapropter idem Apostolus, qui consuluit manere conuersum cum non conuersa, dissuasit contrahere fidelem cum infideli.

Causæ autem, cur tempore euangelicæ legis prohibitum est matrimonium fidelis cum infideli, in primis sunt, quoniam desunt in eo matrimonii bona, bonum scilicet prolis, quod non est solum procreandæ & educandæ prolis, sed educandæ ad diuinum cultum; quod fieri minime posset, parentibus ad diuersa & contraria distrahentibus: deinde quòd desit fidei bonum, quod non solum est, quòd homini fides seruetur dictamine quodam naturæ, sed etiam propter Deum, quia timore & amòre Dei seruanda est fides coniugi: postremo deest etiam bonum sacramenti, quia deest inibi perfecta significatio unionis Christi ad ecclesiam. hæc Turrecre. in c. Siquis XXVIII. q. I. qui secutus est sententiam sancti Thomæ in

IIII. sent.

IIII. ſent. di. XXXIX. ad III. cum dixit, quòd matrimonium principaliter inſtitutum eſt ad bonum prolis non tantum generandæ, quia hoc ſine matrimonio fieri poſſet, ſed etiam promouendæ ad perfectum ſtatum. Eſt autem in prole duplex perfectio conſideranda, ſcilicet perfectio naturæ non ſolum quantum ad corpus, ſed etiam quan tum ad animam per ea quæ ſunt de lege naturæ, & perfectio gratiæ. & prima perfectio eſt materialis & imperfecta reſpectu ſecundæ. & ideo cum res, quæ ſunt propter finem, ſint proportionatæ fini, matrimonium, quod tendit ad primam perfectionem, eſt imperfectum, & materiale, reſpectu illius, quod tendit ad perfectionem ſecundam. Et quia prima perfectio eſt communis fidelibus & infidelibus, ſecunda autem ſolis fidelibus, ideo ſolum inter fideles eſt perfectum matrimonium.

Quarto præmittendum, quòd ſi fidelis & catholicus uxorem duxerit in hæreſim lapſam, modo baptizata ſit ſecundum ritum eccleſiæ, uerum eſt inter eos matrimonium, etiam ut matrimonium eſt ſacramentum. quoniam matrimonium, quantum ſpectat ad ſacramenti neceſsitatem, paritatem expoſcit; quantum ad ſacramentum fidei, ſcilicet baptiſmum, magis quam quãtum ad in-

teriorem fidem, cuius defectus non dicitur fidei, sed cultus disparitas, qui respicit exterius seruitium. Propterea si fidelis cum hæretica rite baptizata contrahat, uerum est matrimonium, etsi peccatum committat, si eam esse hæreticam non ignorauerit. Quemadmodum contrahens cum excommunicata, cum adsit ianua omnium sacramentorum, baptismus: cuius defectu infirmum est coniugium cathecumeni etiam habentis rectam fidem: sanctus Thomas dist. superius citata. Et quamuis Ambrosius, ut habetur in d.c.Caue.prohibuerit, ne quis cum his contrahat, non tamen eo canone decretum est, ut separentur. Quemadmodum & in aliis pluribus casibus ecclesia prohibet contrahi matrimonia, non tamen irritat contracta. Propterea recte dixit Ricardus de media uilla, insignis theologus dist.XXXIX. q.I.IIII.sent.quòd non redditur fidelis persona illegitima ad contrahendum cum infideli, propter infidelitatis peccatum, quia tunc esset persona illegitima ad contrahendum cum fideli non baptizato, quod est falsum. sed ratio est quia non suscepit sacramentum baptismi, qui est ianua omnium sacramentorum.

Ex præmissis subsequitur, quòd cum inter hæresi infectos siue unus tantum, siue

ambo ſint a recta fide deuii, coniugium non ſit lege humana inuentum, quale illud quod de præſenti uel ſponſalia nuncupantur, nec imperfectum ſit, quale infidelium, ſed habens fundamẽtum fidei & baptiſmatis, quod eſt ianua omnium ſacramentorum: propter cuius defectum, imperfectum eſt infidelium coniugium, & diſſolubile: quod indiſſolubile eſt hæreticorum matrimonium, ſiue poſt ſiue ante contractum in hæreſim lapſi ſint. ex conſequenti ſummum Pontificem non poſſe ulla diſpenſatione dirimere eorum coniugium, ut reſcripſit Inno. III. & habetur in c. Quanto. de diuor. his uerbis: Si alter fidelium coniugum uel labatur in hæreſim, uel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus quòd in hoc caſu is qui relinquitur, uiuente altero poſsit ad ſecundas nuptias conuolare: licet in hoc caſu maior appareat contumelia creatoris. nam etſi matrimonium uerum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem uerum & ratum exiſtit. Quòd ſiquis dubitauerit Inno. uſum fuiſſe uerbo, Non credimus, quod dubitantis eſt, non decernentis. reſpondemus, quòd etſi Inno. cum reſcripſit Ferrarieñ. Epiſcopo, non eo animo ſcripſit, ut legem conderet, & forte hæſitaret. quia tamen Greg. IX. qui col

legit canones prædecessorum pontificum; nonnullis receptis, aliis reiectis, qui infirmiori ratione innitebantur, & cum aliis pugnabant, decretalem Inno. inter eas redegit, quas pro legibus recipi decreuit; dubium Inno. sustulit, quòd pro ecclesiæ declaratione indubie recipiendum est: prout etiam dubium uidetur ipsemet Inno. sustulisse, cum respondens quorundam hæsitationi, subiecit: Nec obstat, quòd a quibusdam forsan obiicitur, quòd fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari, cum in multis casibus hoc contingat, ut si alter coniugum incidatur. Per hanc enim responsionem quorundam malitiæ obuiatur, qui in odium coniugum, uel quando sibi inuicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa nubentibus coniugibus resilirent.

Quod tamen Inno. sub aliqua dixit hæsitatione, Alex. III. affirmatiue decreuerat, & habetur in c. II. de diuor. his uerbis: Nos itaque tibi respondemus, quòd mulier pro furto aut alio crimine uiri sui, nisi fidei suæ religionem corrumpere uelit, ab eo separari non debet: uerum si coniugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a uiro poterit separari: ita quòd ei alii nubere non licebit: quia licet separentur, semper tamen

coniuges erunt. in uiris quoque præsentis sententiæ forma seruetur.

Quòd etsi non posit summus Pontifex coniugia hæreticorum dirimere, posset tamen decernere eos de cętero inhabiles fore ad matrimonium contrahendum, quemadmodum posset eos, qui coniuncti forent quinto consanguinitatis uel affinitatis gradu, inhabiles reddere ad matrimonium, sicut et eos habiles reddidit ecclesia, cum prius essent inhabiles usq; ad septimum gradum. c. Non debet. de consang. & affi. non tamen posset dirimere coniugia eorum, qui ante legem nupsissent. an autem expediret id decernere, altioris est disceptationis, & ex his, quæ in sacro concilio forent in deliberationem deducenda.

Quòd siquis dubitauerit: potest summus Pontifex dirimere matrimonium spirituale religiosi, faciendo de monacho non monachum, & eum habilem ad coniugium, ut notant doct. in c. Cum ad monasterium. de statu reg. & aliàs nos plenè disseruimus. Cur ergo non poterit dirimere coniugia hæreticorum, fauore fidei, ne sanus inficiatur ab ægroto? Respondetur, diuersam esse utriusque rationem. Quoniam in matrimonio quis non solum obligatur Deo, sed etiam homini, quia non habent coniuges sui corporis

potestatem. In uoto autem quis obligatur solum Deo, quã obligationem eius uicarius, cuius idem est tribunal cum Christo, remittere potest. c. 11. c. Quanto. de transl. præla. Hinc est, quòd etiam transfert Episcopum, alligatum spiritualiter suæ ecclesiæ, de una ecclesia ad aliam, & sine translatione absoluit a uinculo, quo tenebatur, ecclesiæ illi prouidendo de alio pastore, illo in ecclesia Dei sine ullo uinculo particularis ecclesiæ Episcopum dimittẽdo c. Inter corporalia. de transla. episco. Quòd si dixeris: Etiam religiosus obligatur Deo & homini, in professione sua promittendo obedientiam superiori suo, tradens se ei quodammodo in seruitutem. Respondetur, quòd religiosus se tradit in seruitutem, non huius uel illius hominis, sed superioris sui recipientis uice Dei eam obligationem. hinc est, quòd Abbate, seu superiore defuncto, aut dignitate amoto, non soluitur eius uinculum, sed durat quousque uiuit, aut is, qui uices Dei in terris gerit, eum absoluerit: quod potest, cum in ea obligatione censeatur excepta superioris auctoritas. c. Veniens. qui cleri. uel uouen. quemadmodum in iuramento: ut not. doct. in c. Constitutus. de rescri. Quibus casibus quod summus Pontifex agit, ipse Deus non homo facere censetur d. c. Inter corporalia. &

c.Quanto.de translat.prælat. not.Io.and. & alii doct.in c. Rursus . qui cleri. uel uouen. Maritus autem, uel uxor huic uel illi homini particulari alligatur : quam obligationem nec Deus soluit altero uiuente, nec eius uicarius soluere potest, nec debet, si posset.

Quòd si postremo obiiciatur : Per matrimonium per uerba de præsenti contractum quis obligatur huic uel illi particulari homini, non gerenti uices Dei recipienti obligationem : & tamen ea obligatio tollitur per summum Pontificem, cum dirimit matrimonia per uerba de præsenti contracta . Respondetur ex his quæ supra deducta sunt, uirum quidem aut mulierem obligari uerbis de præsenti, non tamec fieri traditionem, qua efficiuntur una caro, & qui uere dicuntur a Deo coniuncti. Sicut in simili, cum quis uendit rem suam uni, & deinde ante traditionem alteri, non adeo firmiter primo obligatur, quin ualeat secunda uenditio l. Quotiens.C.de rei uendica.l. Sicut autem. §. Si duobus. ff. de publicia. cuius ratio est, quia uenditor mansit dominus etiam post uenditionem, ideo erit dominus is, cui prius tradita est.l. penult.C. de rei uendica. Quòd si adhuc uir acuti ingenii dubitaret: Secundum hoc igitur matrimonium carnis commixtione consummatum solueret ma-

trimonium per uerba de præſenti, cum in ſecundo fiat traditio, & effecti una caro non habeant coniuges ſui corporis poteſtatem, ſed alter alterius: quod non admittunt canones. c. Si inter uirum. de ſponſa. Reſpondetur, quòd ſimilitudines non ſemper pari paſſu ambulant: nec (ut dici ſolet) idem eſt, quod & ſimile. Et ratio diuerſitatis eſt, quoniam inter corporalia & ſpiritualia hoc intereſt, quòd corporalia facilius deſtruuntur, quàm conſtruantur, ut reſcripſit Inno. III. decano & capitulo Andegaueñ. Proptera quamuis ſecundus emptor, cui facta eſt rei traditio, præferatur primo emptori, ex eo quòd temporalia facilius deſtruantur, quàm conſtruantur: non tamen matrimonium carnali commixtione conſummatum, cum ſpritualia difficilius deſtruantur, quàm conſtruantur.

Sed adhuc non quieſcit animus, & dubitari poteſt, Si ſpiritualia facilius conſtruantur, quàm deſtruantur, & ideo fortius ſit ſpirituale uinculum, quàm carnale, ut dixit Inno. in d. c. Inter corporalia; cur ſummus Pontifex ſæpius dirimit coniugium ſpirituale, quod eſt inter Epiſcopum & eccleſiam, in tranſlatione, renunciatione, aut depoſitione, illum a uinculo, quo eccleſiæ tenebatur, abſoluendo; non autem poteſt diſſol

uere coniugium carnale, & absoluere coniuges a mutua obligatione? Huic dubitationi occurrit Inno. cum subiicit: Cum ergo fortius sit spirituale uinculum, quàm carnale. dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum & ecclesiam, suo tantum iudicio reseruauerit, præcipiens ut quod Deus coniunxit, homo non separet. non enim humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Rom. Pontificis, quem constat esse uicariũ Iesu Christi, Episcopus ab ecclesia remouetur. Sed hæc responsio dubium auget, non tollit. quoniam si Deus suo iudicio reseruauit dissolutionem tam carnalis, quàm spiritualis coniugii, & Rom. Pontifex, quia uices Dei gerit in terris, potest dissoluere matrimoniũ spirituale inter Episcopum & ecclesiam, quod fortius est uinculum, poterit etiam dissoluere matrimonium carnale, quod debilius est. Et licet si bene aduertatur hæc responsio satisfaciat, quòd solus Rom. Pontifex potest dissoluere matrimonium spirituale inter Episcopum & ecclesiam, tamen relinquit in dubio, quæ sit ratio, quòd non possit dissoluere carnale, Quod ad illud propositum translationis

Episcopi, de quo erat sermo, non attinebat. Ex dictis doct. in d. c. Inter corporalia. colligi potest, quòd licet uinculum spirituale, quoad plura quæ ab eis enumerantur, fortius dici possit, & dignius, quàm carnale, non tamen quòd difficilius dissoluatur, cum carnale præceptum domini habeat, Quos Deus coniunxit, homo non separet: non autem spirituale. Quòd etsi dicatur ab Inno. diuina potestate dissolui coniugium spirituale, cum a Rom. Pontifice per translationem, depositionem, aut cessionem dissoluitur, quã Deus sibi reseruauerat: non tamen dixit, nec usquã habetur de spirituali Coniugio dictum a domino, Quod Deus coniunxit, homo non separet. nec ex hoc, quòd diuina auctoritate separetur coniugium spirituale, cum separatur a Rom. Pontifice, subsequitur diuina auctoritate mandatum non separari: quod tamen præceptum habetur de carnali coniugio. Vel dicatur, quòd spirituale uinculum difficilius soluitur, quoniam non ab eodem soluitur, a quo datur, in pluribus casibus, de quibus ponit exempla Inno. in d. c. Inter corporalia. Quoniam iuxta canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque a Metropolitanis suis munus consecrationis,

adiunctis sibi aliis tribus Episcopis, accipiunt: qui tamen non possunt nisi per Rom. Pontificem condemnari.

Dici etiam potest, & forte uerius, quòd quia Rom. Pontifex, licet posit absoluere Episcopum ab ecclesia, cui alligatur, quoniam, quòd quis sit Episcopus huius uel illius ecclesiæ, est ab homine & a iure positiuo introductum, cum ab initio nascentis ecclesiæ usque ad tempora Dionysii, qui erat Pontifex anno CCLXX. non erat distinctio Episcopatuū & diocesum, quibus specialiter alligarentur Episcopi: sed habita ratione or dinis Episcopalis, uel alterius ordinis sacri, indissolubile est uinculum, propter caracterem in anima impressum, usque adeo quòd ex plurimorum sententia maneat post interitum carnis, cum tamen soluatur morte matrimonium carnale. Propterea nil mirum, si Episcopus aut presbyter depositus, & etiam actu degradatus, sacramenta uere conficit, adeo quòd uerum est Eucharistiæ sacramentum, quod conficit uerè in sacris constitutus, qui ab eo suscepit sacros ordines: proinde non minus dissolui potest spi rituale coniugium a Rom. Pontifice, quàm carnale.

Si quis autem ulterius perquirat: Si ingressu religionis soluitur matrimonium uer

bis de præsenti conceptum, modo consummatum non sit. c. Verum c. Ex publico. de conuer.coniug.cur non idem susceptione sacri ordinis? cum tamen in c. 1. de uoto. lib. VI. decernatur pari ratione susceptionem ordinis sacri, & ingressum religionis, fore uota solennia, impedientia contrahi matrimonium, & dirimentia contractum? Respondetur de hoc dubitasse glo. in d. c. 1. de uoto. & dubium sustulisse Ioannem XXII. in extrauag. cuius initium est, Antiqua: qui declarat ordines sacros minime soluere huiusmodi matrimonium: quoniam si solueret, non esset æqualitas inter uirum & uxorem. Duplici enim remedio posset uir dissoluere coniugium, ingressu scilicet religionis, & susceptione sacri ordinis: mulier uero, quæ propter sexus fragilitatem incapax est sacri ordinis, unico, ingressu scilicet religionis.

At quoniam relatum est, esse nonnullos non paruæ auctoritatis & doctrinæ, sacræ theologiæ professores, in hac esse sententia, posse Rom. Pontificem dissoluere coniugia hæreticorum, si uno ad fidem catholicam conuerso alter in hæresi pertinax & obstinatus fuerit, duabus potissimum innixos rationibus. Primum, quoniam, ex sententia D. Thomæ, ad suscipiendum sacramentum baptismi oportet eum, qui baptizatur, habe-

re rectam fidem circa baptiſmum, licet forte ea careat in aliis fidei articulis: hæreticos autem noſtri temporis, a quibus poſtulatur a Pontifice diuortii diſpenſatio, non habere rectam fidem circa ſacramentum matrimonii, cum non credant fuiſſe ſacramentum a Chriſto, ſed ab eccleſia inſtitutum: propterea deficiente fide, quæ baſis eſt & fundamentum ſacramentorum, deficere & ſacramentum: & ea de cauſa fore diſſolubile, quemadmodum & infidelium uno ad fidem conuerſo, altero nolente cohabitare ſine contumelia creatoris. Deinde hoc idem aſtruentes ex eo, quòd Roma. Pontifex diſpenſat cum religioſo, ut poſsit ex aliqua urgenti cauſa uxorem ducere, prout diſpenſatum fuit cum Rege Aragonum, & Conſtantia regis Rogerii filia: poſſe itidē diſſòluere coniugia hęreticorum, fidei fauore. Profecto hi, quicunque ſint, egregie falluntur: & pugnat eorum ſententia cum declaratione eccleſiæ, Alexandri.ſ. I I I. de qua in c.I I. & Inno.I I I. de qua in c.Gaudemus.de diuor. de quibus ſupra plenius diſſeruimus. Eorum etiam rationes infirmæ ſunt, nec carent fallacia. Quoniam longe diuerſum eſt dicere, Oportet eum, qui baptizatur, habere rectam fidem circa ſacramentum baptiſmi: & dicere, Oportet eum, qui contrahit matri-

monium, habere rectam fidem, quòd matrimonium ſit ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Quoniam ad indiſſolubilitatem coniugii requiritur fides, quæ profitetur in baptiſmo, propter quam dicitur ianua ſacramentorum; non fides, qua quis credat coniugium eſſe ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Propterea qui in ea fuerunt ſententia, laborant in æquiuoco: & eorum argumentum (ut dicunt dialectici) eſt in quatuor terminis, ſumentes unum pro alio. Secunda autem eorum ratio ſublata eſt ex his, quæ ſupra diſſeruimus. Propterea concludimus non minus ratum fore matrimonium hæreticorum, & indiſſolubile, quoad uinculum, quàm cuiuſuis catholici: ex conſequenti minime diſpenſandum cum eo, qui ab hæreſi reuerſus, coniuge in hæreſi perſiſtente, cupit ad alia uota tranſire.

FINIS.



